

1717.

1. Beckius, Caspar Scholarius: De usu et auctoritate
juri Romani in Hungaria.
2. Beckius, C. Scholarius: De juris praelectionis per emen-
tationem religiosis reformati.
3. Bruegherus, Faustus Bertharius: De jure naturali ex
absentium et ex multis praesentium.
4. Bruegherus, Faust. Hieronymus, Decanus Farfus.: Et
solemnum lectionum a Th. Cyp. Boerio habendum
instat sanctissime agit: Replagio literarioris in studiis
juri
- 5^a [Brenelius, Mr. Gutschus]: De advocatio, cumque
numero restringenda. 2 Dampf. 1717-1786
- 5^c [Brenelius, Mr. Gutschus]: Notizie Annmerkung über
die . . . Dissertation V. De advocatio cumque numero
restringendo.
- 5^d [Brenelius, Mr. Gutschus]: Abgenötigte Reformation
wieder die . . . Gegen-Annmerkungen über die The-

merkungen, so wieder die Disputation des :
Mrq. Gustavus Denzlinus: De advocate coramque
numero restringendo, . . . verpertigit.

6. Fries, Iohannes Bernhardus: De causa hereticii jacentis

7. Fries, Iohannes Bernhardus: De locutoris successore

8. Friesen, Dr. Bernhardus; Tac. iurid. decimus: ad volumen
lectionem a . . . Zo. Friesius Wittmogelio
hebdomadam instatio

9. Gerhardt, Iohannes: Rerum academicarum: De usu
dialecticarum exercitationum iuri praevalenti studio iuri-
genito ventilationi iuri Testimoniae privati . . .
praemissa. (Commentaries ad disputationes publicas iuri-
sat).

10. Hartleben, Iohannes Heermann: De recognitione iusti.
mentorum per testes

11. Lehmannus, Dr. Iacobus: De eo, quod iustum est civis
castodidam veritateem.

1717.

12⁴⁷ Regmannus, Nicolaus: De genuina notione sententias
praeceptorum urbanorum. 2. Sept. 1717 - 1719.

13. Schroeterus, Jo. Christianus, Fac. iur. Sacrae: Programma
lectionis apostolicæ Levinii Friderici Bensoni. . . . pre-
missum.

14. Stevagium, F. Philips: De reformatione in uocatore
non competente.

15. Sturius, Baccharius Gathseffus: Vindiciae iuri Iudec-
tatoris aduersus urbis Romae episcopos.

16. Sturius, Fridericus Gallus: De jure alchymiae.

17. Wedelinus, Georgius Wolfgangus, Fac. med. Sacrae:
Propempticon in ang. De morbo Forami regis Iudeæ . . .
(Disputationis in ang. Thamni Samuli Herusii
præmissum).

18. Wedelinus, Georgius Wolfgangus: De strangulatione
uteri synoptica

1717.

19. Wedelius, Joannes Boroplus, Fac. med. Decanus

Propempticon in quo : De siphonum majorum emendatione I (Dissertationis in quo. Toxicis Symptomatibus Schenburghii praemissum).

20. Wedelius, Joannes Boroplus : De melancholia hypochondriaca.

21. Wedelius, Joannes Boroplus, Fac. med. Decanus : Propempticon in quo : De siphonum majorum emendatione II (Dissertationis in quo. Christiani kurze Traetori praemissa sunt).

22. Wedelius, Christianus : De modo inverso in processu civili et criminali usitando.

1567.
DISSERTATIO PRACTICA
DE EO, QVOD IVSTVM EST

CIRCA

CVSTODIENDAM
VERITATEM,

Oder :

*Was die Erhaltung der reinen Wahrheit
zu thun und zu lassen erfordere?*

QVAM

DIVINA ADSISTENTE GRATIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MON-
TIVM, ANGARIAE ET GVESTPHALIAE,

RELIQVA,

IN ACADEMIA IENENSI

INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV,

D. MARTII CIO 10 CCXVII
PRAESIDE

IO. IACOBO LEHMANNO,

PH. M. EIVSQUE AMPLISS. ORD. ADIVNCTO,
PATRONO AC PRAECEPTORE

IVGITER COLENDO

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIET

NICOLAVS VVEDELIVS,

REISBYA-CIMBER.

IENAE,

LITTERIS IO. BERNH. HELLERI.



DISSESSATIO PRACTICA
DE EO QVOD IASTAM EST
CASTODINDAM
VERITATEM.

QVOD DE DIFFICILITATE QVATRINQVE
IN IPHIS QVOD IN SCIENTIA APPLICABVS

DIVINA APOSTOLICAE CREATIVITATIS
EXCERPTORVM ET ENTHUSIASMO
SERVANTISSIMO FRANCISCA VEDCMIO

DOMINO
CATHARIMO HENRICO

DACTYLOXONIAE, JAVELLA, ORBIS
TIAM, ANGARIAE ET GARTERIUM

ET CETERA

IN VACUO SEMI INGENII

INCIPIT PRAELEGATIONES RYAN GODVI CONVENTUS
MARTINI CIS DE CORNU

PRAESIDIE

IO. IACOBUS FERMANNO

PERMUTATIONE VITRIOSO VULCANICO

PATERNO AC PRACTICOS

IAOTRICO

PERMUTATIONE EXAMIINI SCIENTIAE

RELSINUS CIMER

IAWAKA

LITTERIS IO. PIRUM HERIBR.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
REGIS DANORVM AC
NORWAGIORVM

ADMINISTRIS ET CONSLIARIIS
PIETATE, SAPIENTIA ET PRUDENTIA
ILLVSTRISSIMIS, PERILLVSTIBVS
ET EXCELLENTISSIMIS

DOMINO DOMINO

CHRISTIANO DETLEF
COMITI DE REVENTLAV,

ORDINIS, QVI AB ELEPHANTO NOMEN TRAHIT,
EQVITI, CONSLIARIO INTIMO, PEDITVM
GENERALI, CUBICVL REGII AC REI VE-
NATORIAE, VT ET VRBIS HADERSLEBIAE
PRAEFECTO SVPREMO ET SVMMO
AL TENAVIAE PRAESIDI.

DOMINO DOMINO

IOANNI GEORGIO
DE HOLSTEN,

EQVITI AC CONSLIARIO INTIMO, PRAEFE-
CTVRAEQUE TVNDERENSIS PRAEFECTO
SVPREMO, RELIQVA.

NEC NON

DOMINO DOMINO

IOANNI LVDOVICO
LIB. BAR. DE KOENIGSTEIN,

EQUITI AC CONSILIARIO INTIMO, ET PRAE-
FECTVRARVM APPENRADENSIS ATQVE
LVGVMENTIS PRAEFECTO SVPREMO, ATQVE
ECCLESIAE CATHEDRALIS DIOCE-
SEOS LVBECKENSIS
PRAEPOSITO.

VT ET

DOMINO

DOMINO DE CALLNEIN,

CONSILIARIO STATVS ET DIOECSEOS
AC PRAEFECTVRAE RIPENSIS
PRAEFECTO,

DOMINIS SVIS BENIGNISSIMIS AD
GRATIOSISSIMIS.

III-

Illustrissimi, Perillustres, Excellentissimique

Domini,

Domini Gratosissimi.

Nisi illustria singularis VESTRAE benignitatis doc-
menta in promouendis publicis commodis & fo-
uendis pacis artibus aequa testata cunctis essent,
ac VESTRA Virtus & Vis animi, maxime sapi-
entia, praesentia Consilii, probitate, fide & in-
sitia corroborata; nuncquam in animum potuissim inducere, ut
base studiorum Academicorum primitias VOBIS submisso offer-
rem. Tanta nimurum sunt VESTRA in publicam, tanta in li-
terariam rem merita, ut ea ingenii facultate vix adsequi, nec
vi verborum exprimere sustineam. Sive enim VFSTRAM curam
& sollicitudinem paulo altius mecum expendam; omnes intelli-
gunt, VOS tanquam in sublimi specula positos, pro salutis publi-
cae custodia dies noctesque animo excubare, ne in tanta tempo-
rum difficultate, atrocis belli formidine circumstrepente, Reipubli-
cae fortuna labefactetur, nece illorum, quibus obsequi gloria est
relicta, commoda minuantur, sed ut, quantum binus tempestatis
diritas permittit, omnium rerum copia abundant. Sive VE-
STRAM in tuendis pietatis & Musarum officinis diligentiam ac-
curatiori mentis indagine persistem, omnes, quos ingenii & doctri-
nae opinio VOBIS conciliauit, ingenue fatentur, maximum fortu-
narum suarum praescidum in prudentia longo rerum usu parta, in

X 374 con-

constantia cupiditate, ambitione & gratia variari nescia, in facilitate neminem aut adspexit aut colloquio arcente, in vigilantia denique VESTRA ab incolumente & incrementis reipublicae oculos non deflectente summopere esse possum. Quare cum mibi decretum constitutumque esset, qualemcumque meam in euoluenda quadam materia viribus aqua industriam exercere, cum primis officiis circa veritatem rite custodiendam obseruanda paulo altius discutere: nihil erat quicquam in consilii meis antiquius, quam ut leuidenses hasce pagellas VOBIS, qui nihil dare gratiae, nihil odio & cupiditati sed sincero iudicio instructi de doctrinarum studiis recte sentire atque aestimare didicistis, in certissimum obseruantiae meae argumentum, eo quo decet humillimi animi cultu consecrarem. Ego quoque spero & plane confido, fore, ut tenue hoc & exile munusculum, quod Musae nostrae VOBIS, ea qua pars est animi dimissione exhibere non erubuerunt, sereno accipiatis vultu, nec vero agnoscatis doni modum & pretium, sed pium rectumque animum, qualis etiam DEO minus displacebit, si eius cultores hecatombas offerre non queant, sed cum minoribus tantum victimis supplicant. Persuassimum quoque habetis, me praepotentem DEVVM assiduis fatigaturum esse precibus, ut VOS omnibus animi insuper & corporis dotibus cumulatos, saluos involuemesque seruet quam diutissime in splendidissimae familiae VESTRAE decus & ornamentum, Ecclesiae, Reipublicae civilis & literariae praesidium & emolumentum, eorumque omnium, qui virtuti & sapientiae operantur. Valere Domini atque Maecenates humillimo animo suspiciendi nec desinite ulteriori patrocinio amplecti

Vestrorum Nominum

Dabantur in Athenaeo

Salano

Quinto idus Maii, cito 13 CXXVII,

cultorem humillimum

Nicolaum VVedelium.

s. s. TH. Cult.



C. D.

D. E.

CAP. I.

Veritatis Custodia generatim.



Vid aliquando in proverbio audi-
mus: tot esse capita, quot sensus; ratio & oc-
id ut de multis aliis rebus, ita de
ratio.

veritate quoque eiusque custodia
tuto erit adstruendum. Quae o-
ptima semper dicta fuit magistra,
ea nos haec ad satietatem docet,
experiencia. Non est nostri insi-
tuti de omnibus iis agere, qui hic in varias abeunt senten-
tias; sed ut praesens requirit propositum, tantum notamus,
quod facile concedent omnes; multos esse, qui putant a
veritatis custodia quemvis, etiam si idoneus quoque sit,
abstinere & aliis negotiis posse relinquere; alios vero

A. 2

27

perperam quidem autumare, veritatem custodire, rem esse in medio positam, quam suscipere quiuis & quounque modo posset, cui esset volupe. Ut vero illi citra dubium officio suo haud faciunt satis, qui cum eos aptos reddiderit clementissimus DEVS, talentum fidei suaे traditum citra necessitatem occultant ; ita, qui minus apti sunt, quosque DEVS non ad custodiendam instruxit veritatem, perperam & saepius magno gloriae diuinæ nostræque salutis & veritatis detimento id suscipiunt negotii, quod plane à DEO aliis erat mandatum ; quemadmodum nec illi, qui quacunque saepius illicita ratione veritatem custodire conantur, crimen absoluendi sunt. Non nego, voluntatis subesse perversitatem, cum multi nomen suum exponant in tabernas bibliopoliarum venale, qui scribunt, vt videantur, vt laudentur, aut eorum alias flatentio ; alii vero, vt lucrentur quidquam, rei domesticæ conueniens, librorumque curtam alias suppellectilem augent sine detimento rei familiaris: multum tamen incommodi hac in re inde quoque prouenire credo, quod non nulli perperam sibi persuadent, veritatem negligere aut custodire rem esse liberam. Ut ergo cognoscamus, quodnam viuis cuiusque circumveritatem custodiendam sit officium, hanc doctrinam ea qua fieri potest diligentia & sine ullo partium studio considerabimus ; quod DEVS optimus felix esse iubeat sua que gloriae & nostræ salutis salutare.

§. II.

*Quidam
huius do-
ctrinae
scripto-
res.*

Antequam vero, quae proposuimus, adgrediamur, nostra sententia silentio praeterire non decet, alios quoque hac in re sudasse, inter quos maxime notandus est summe reverendus THEODORVS DASSONIVS, Consiliarius Regius atque Superintendens Generalis Silesiacensis & Hollaticus, in fraterno ad Praepositos, Seniores & eius generis alios fidei suaē commissos, alloquo de pura doctrina sanctissime custodienda (*). Eius generis argumentum sibi quoque propositum tractandum celeberrimus HENRICVS MUL-
VS,

¶ (5) ¶

vs, Theologus in Ecclesia & Academia Holtatica primarius, in *dissertatione de studio aequitatis tuendae afferendaque Orthodoxiae maxime necessario*, (**) eleganti sermone scripta. Sed ne de eius generis celebrissimis viris iudicandi nobis tribuatur temeritas; hoc modo addere iutiauit, hos & Theologiae se accommodasse & speciatim tantum rem exhibuisse, ut quiuis, nobis quoque generatim & ex ipsa re de hac doctrina differendi facultatem esse relictam, facile possit colligere. Hact ergo nos vterius morari non patiemur, sed ductu rei ipsius, genuini Philosophorum veritatem inuestigantium principii, dissertationem instituimus & *quae circa veritatis obseruanda sunt custodiam*, ea, quae sibi poterit, describemus breuitate.

¶. Typis traditum illud est anno MDCCXIII.
¶. Hace primum anno MDCCIX, deinde coniunctis aliis
huius tenoris laboribus, nomine *Schediasmatum de eo,*
quod instum est, & factu vitriunque necessarium circa puram
Doctrinam custodiendam, anno iam practerito prodiit.

¶. Ut negotium eo distinctius persiciatur, in limine sta- Veritas
tim neutiquam praetermittendum est vari generis de- triplex
prehendi veritatis. Veritas enim, vt alia taceam, vel in Metaphy-
sica, Lo-
fermone rerum reperitur, vel in cognitione nostra, vel in sica, Illa gica &
Metaphysica, ista Logica & haec Ethica, vel hodie juris naturalis di- Ethica.
citur. De prima nobis in praesenti quidem sermo esse ne-
quit, cum custodia huius veritatis illis relinquenda sit, qui
essentias rerum constitunt ac conservant, quod prouiden-
tiae diuinae maxime negotium est. Neque de ultima ut
iam multa proferantur, scopus noster videtur requirere,
eius quippe custodia eo tandem reddit, ut mendacia pre-
cepitis alisque hic facientibus inserviantur, quo
nostra iam se non extendit oratio. In media ergo versa-
bimur consideranda, cuius tutela & custodia hodie non
minus deprehenditur necessaria.

§. IV.

*Veritas
Logica
varias
admitit
considera-
tiones.*

Veritas, quae Logica vocatur, iterum non una ea-
demque semper consideratur ratione, mox propria medi-
tatione *inuenienda*, aut *ex aliorum scriptis exsculpenda*, riteque
examinanda, mox cum aliis est *communicanda*. Sed hi diuersi
tantum veritatis sunt modi; veritas ipsa in qua Logica
versatur, sive *inuenienda* & *ex aliorum verbis inuestiganda*, sive *communicanda* sit, generatim consistit in cogni-
tione ipsi rei, de qua agit, conueniente; hinc ubi co-
gnitionis & rei illius deficit conuenientia, cognitio falsa
vocatur & error. Cum ergo omnis cognitio vera sitique
necessaria aut utilis viam paret ad felicitatem, & huius &
futuri seculi; falsa vero tantum abest ut viam ad felici-
tatem muniat, ut potius si aliquis sit momenti, in omnem
misericordiam nos reddat praecipites: *omnis generis*, de qua
Logica agit & quae mox delcripta est; *veritas merito censetur custodienda*. Hoc interim notandum, in nostro nego-
tio veritatem non tam singularem quandam, quam potius
complexum plurium veritatum indicare.

*Quid no-
bis inſtum
ſit?*

Id vero, quod in hac veritatis custodia *inſtum* est, cum
DEO proponimus cognoscendum. Inſi nomine, vt sta-
tim dicamus, id hic intelligimus, quod leges & pruden-
tiae regulae in realiua praecipiunt; non aliter ac *P. A. V. L. S.*, *lure Consultus* (*), ius & aequum & utile significare
affirmat. Leges naturales, ut alibi fuisse ostendit, ex
natura & praefertur fine cuiusque rei colliguntur; pri-
udentiae vero regulae ex circumstantiis externis & propositis
accidentalibus fluunt.

*Fines cu-
ſtodiens
dae veri-
tatis.*

(*) *L. XI. de I. S. I.* ut apud antiquos etiam
inſtitutum ibidem §. VI. ob silbosque quae auis
probare perspicere conatur, ei naturam atque finem maxi-
me cognoscere graue non erit; quae enim veritatis cir-
cumstant custodiam, nullo negotio deinceps obseruabun-
tur.

cur. In iuxta cuiusdam fontis moralis, cuius generis custodia veritatis merito habetur, finis non modo praecipuum est, sed id quoque, quod primo cognoscendum & a quo caetera facile deriuantur. *Fines* custodienda veritatis, si rem consideramus, variis videntur dari. Quem proxime quaerimus, est *cognitionis nostrae puritas*, aliud enim quidquam licite quaerere non possumus. Hanc ordine sequitur *vita rite*. Et felicitas instituenda, nam hujus ergo praeципue data est cognitionis; haec gratia sua DEVS benignissimus ornat vera felicitate, quibus omnibus demum ipsius promouetur gloria.

§. VII.

Vt finis proximum maxime in re aliqua considerandus *finis pro-*
est, ad huius enim normam tota rei natura composita vi-
ximus in
detur; ita caeteri neutiquam negligendi sunt. *Proximus* re aliqua
iraque naturam rei patescit; sed remoi hunc limitant eique maxime
lucem accendunt non contemnendam. Eam nempe feli-
citatatem quaerere oportet, quae gloriae diuinae non ad-
uersatur. Eam vitae rationem ingredi decet, quae veram sed eaere-
non impedit felicitatem. Illa cognitionis est adquirenda, ri non ne-
quae viam ad vitam rite instituendam ac tandem ad ipsam gligendi
veram pandit felicitatem. Et quia maxime veritatis pu-
ritas viam illam aperit, haec sectanda, adquirenda & cu-
rienda est.

§. VIII.

Cum igitur finis proximum entium moralium, eti clausis, reserat naturam, ad puritatem cognitionis, quae finis *Paritas cognitionis* ille est, nostra redit disquisitio. Est illa complexus veri-
tatum ad felicitatem & temporalem & sempiternam securi necessa-
riarum vel virtutum, quibus aut nulli plane admixti sunt errores,
aut eius generis, qui viam ad vitam rite instituendam ipsamque
veram non pervertunt felicitatem. Optime nobis consultum
est, si plane nullis irreuemur in cognitione nostra ex-
terioribus; hoc enim requirit puritatis idea: sed fere supra
homimum sortem tale quid positum esse videtur. Nauibus
ergo

ergo & quadrigis petendum est quidem fastigium, ubi errores nulli deprehenduntur; sed si ob hominum infirmitatem quidam tolerandi sunt, ii videntur esse, quibus licet praesentibus via ad veram felicitatem non occluditur. His innuimus distinctionem *necessarias* inter & non adeo *necessarias* veritates, quas theologi *fundamentales* & *non fundamentales* dicere consueuerunt. Nimirum ex praecedenti quodam fine, vita recte instituenda, ipsaque à DEI benignitate nobis concedenda beatitate metiri nos oportet cognitionis nostrae puritatem. Cum vero nulla tuitor via, quam quae nullis plane impeditur diuerticulis; ita nulla cognitio nos certius ac facilius ad veram ducit felicitatem, quam quae nullis maculatur erroribus. Hacc ergo quantum fieri potest, quaerenda est. Sed quemadmodum recta incedentes via, interdum non curamus, quae a latere obseruantur, si modo plane a via aberrandi absit periculum; ita si qui nos occupant errores, modo ex eorum genere sint, qui nos a vera non seducunt felicitate, eos tolerare possumus, infirmitatis testes. Et si quis hos quoque fastidiat, cognitionis puritatem nonnisi in veritatibus *necessariis* & *vitilibus* quaerere, errores vero plane negligere potest.

§. IX.

Custos veritatis circumspicere debet, Custodia huius purae veritatis, si porro rem contemplamur, in eo videtur consistere, vt, qui apti sunt, prudenter circumspiciant, quid hinc inde ore scriptisque proferatur aut resuscitetur ac defendatur ab aliis prolatum. Custodia enim a militibus ad nostrum transferitur quid *circumspicere* negotium. Illi excubias agentes, quis adueniat, num nostram holtis, an alias? sollicite circumspicere debent, ne proportionantur aut pereant, quae custodienda sunt. Pari ratione cum veritate, salutis nostrae munimento sancte custodiendo, vt iam diximus, res se habet.

§. X. Ne-

Neminem vero huic negotio aptum judicare possimus, quam qui, verum quid sit, aut falsum, probe cognoscere. *Custos rea-*
 uit; qui intellectu gaudet emendato, genuinisque & factis in-
 lutaribus instructo, veritatis. Qui ipse nescit, quid al-
 bum sit aut nigrum, quomodo hoc ab illo separabit? Fa-
 cile autem quis custodiam aget his instructus, si modo o-
 mnia, quae dicuntur aut scriptis proferuntur, accurate ad
 genuinam omnium veritatum examinat normam, quae in
 Theologia quidem sola est reuelatio, in Philosophia vero
 maxime res ipsa, & quae a fide dignis proferuntur homi-
 nibus ac speciatim historiarum conditoribus.

Vt interim miles excubias agens custodiam suam non *Errores*
 perfectius exercet, quam si hostem detegat, & decenti vi *detectandi*
 repellat; ita quidem veritatis puritatisque custos probe & refu-
 suo fungetur officio, si errores detectat, argumentisque ad *tandi sunt.*
 hoc requisitis refutet, apertis, vbi opus est, erroris quo-
 que fonte & riuulis venenosis.

Haec licet omnes, qui veritates cognoverunt & eruditis
 rores ab illis discernere didicerunt, quadam ratione pro-
 mouere queant; cum tamen ob ingenii imbecillitatem est custo-
 eo judicii acumine non instructi sint, quod ad diudi-
 candas veritates erroresque requiritur; nec cuiusvis tem-
 pus permittat & negotiorum ratio; illis merito haec
 traditur custodia, quibus eruditio maxime curae est cor-
 dique. Eruditis ergo veritatis custodia merito commit-
 tenda est.

Vt autem saepe unus miles hostes detectos solus re-
 pellere & abigere non potest, sed in subsidium vocandi *Alii inter-*
 ceteri commilitones, immo sapientius qui praesunt agni-
 ni; ita unus sapientius non sufficit erroribus detectis, re-*dum in*
 futandisque, vires potius aliorum aduocandae sunt, immo
subsidium
vocandi.

summi quoque imperantis interdum adhibenda est auctoritas.

§. XIV.

*An custodia officium sit, quod leges praescribunt
regulaeque prudentiae promouent, quibus hac in re homines
obligentur, praecipua videtur quaestio. Antequam enim
demonstremus, quid de ea statuendum sit, neutquam
quae leges iubent, regulae prudentiae suadent, & quae
ad præparationem voluntatis praemittandam faciunt, po-
tenter satis inculcabimus. Ut vero, quae docente philo-
sophia nostri sunt officii, ex fine cognoscuntur: sic eadem
argumento ab illo desumpto probantur. Ante nempe con-
stituimus, DEO placuisse nos ad actiones honestas, im-
mo ad ipsam felicitatem ducere, non caeco quodam im-
petu, sed vt creaturis ratione praeditis conueniens est,
cognitione quadam praemissa; ideo enim voluntati iun-
xit intellectum cognoscentem, quae illi sunt peragenda.
Sed ita res comparata est, vt inter veram cognitionem
seu veritatem atque inter genuinas DEOque placentes a-
ctiones, immo ipsam veram felicitatem, eius generis de-
prehendatur nexus, vt non nisi veritates scitu necessariae
ac viles nos ducant ad honestam vitam & felicitatem;
errores enim plane alias, DEO displicescentes, commandant
actiones, efficiuntque, maxime, si cuiusdam sint momen-
ti, vt vera priuemur beatitudine, quae omnia inductio-
ne facta satis confirmabuntur. Veritates ergo si non me-
dium, conditiones tamen dicendae erunt, quae requi-
suntur ab illis, qui vitam rite instituere & genuinam con-
sequi cupiunt felicitatem. Hae itaque quaerendae sunt,
& ne corrumpantur, custodiendae. Quemadmodum ve-
ro leges & prudentiae regulae omne id praecipiunt aut
suadent, quod ad felicitatem aut vitam recte transigen-
dam facit; in hoc enim praecipitus legum & regularum
prudentiae consistit usus: ita veritates illae vel cognos-
cendae, vel custodiendae, ceu conditiones requisitae ab il-
lis*

lis quoque praescribuntur. Quod vero leges praecipiunt, aut prudentum commendant placita, generaliori significatione *Officium* dicitur; ex quo custodiam veritatis eius generis quid esse, optime colligitur.

§. XV.

Ad numerum perfectorum officiorum referendam es- *Custodia* se veritatis custodiam, ex eo liquet, quod vitae honestae *veritatis* & felicitari, ordine a DEO constituto, necessario praemittat officiatur cognitio vera. Accedit, quod hodie magis ac maius per gis augeantur huius hostes, qui errores disseminare, disficiunt. solutariaque vitae rationem omni, quo fieri potest modo, inculcare singulari sibi ducunt gloriae. Necesitas inde oritur eo diligentius & curatius veritatem conseruandi, quae, si officium nostrum imperfectum esset, facile in perfectum mutaret. Optime B. LUTHERVS (*) ipsa re, inquit, *experimur, oculisque cernimus, ac manibus ipsis palpamus, summe necessarium esse, ut in pura sacrosancti Euangelii doctrina sedulo inflemus, ut tam virginemus, subindeque iteremus.* Eadem fouet mentem celeberrimus MVLTVS (**), ita differens: *Quae cura, loquitur autem de puritate, hoc diligenter nunc esse debet, quo maior eorum copia, qui non tantum contaminare doctrinæ puritatem, & nescio quibus interpolare facit, sed & infirmare ac impugnare, si non aperte, per cuniculos tamen audent.* Quod vero eruditis adscripsimus hoc negotiū, id inde prouenit, quod singuli homines non omnia exercere possint officia societati necessaria, horum enim magnus est numerus; hinc distribuenda sunt & singulis hominibus ea praescribenda merito censemur, quibus hic illeue aptus haber potest. Et cum nemo melius ac facilius veritatem custodiare valet, quam qui illam pree alii secesserunt, h. e. qui eruditioni vacat; ideo custodiam veritatis diximus eruditorum maxime esse officium.

*) in Praef. Coruini expos. Euang. praenissa lit. a. **) in diff. de Studio aequitatis tuendae orthodoxiae necessario p. 15

§. XVI.

Quae allata sunt, ipse Spiritus sanctus, Paulli calamo *Haec con-*

firmantur vñsus, potentius inculcat II. Tim. I. commate XIII. seqq.
 Scriptura ἐπούπωσιν ἔχει ὑγιανόντων λόγων, ὡν παρέ ἐμβ οὐκεστας ἐν
 S. diδις. αἰτει καὶ ἀγάπη τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησῷ. Τὴν καλὴν παρακαλαθή-
 κτην Φύλαξον διὰ πονέματος ἀγίου Θεοπέπνοος ἐν ιησίν. Οἱ-
 δας τότε, ὅτι ἀπειράφησαν με πώλες οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὃν ἐξ
 Φύγελλος καὶ Ερυγένες. Idem commendat Paullus Tito suo
 c.l.comm.IX. seqq. inquiens: (Δεῖ γὰρ τὸν ἐπίσκοπον ἔναν) ἀν-
 τεχόμενον ἐν πατέρων διδαχὴν πιστὸν λόγον, μνᾶσθαις ἡγε παρα-
 λεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιανότητῃ, καὶ τὰς ἀντιλεγοντας ἐλέγχειν.
 Εἰσὶ γὰρ πολλοὶ καὶ ἀνυπόταπλοι, παλαιόλογοι, καὶ φρεναπάται,
 πάλιτα οἱ ἐκ περιφοιῆς. Οὓς δέ επιταιείζειν. Οἵτινες δὲς οἱ
 οὓς ἀνατρέπεται, διδασκοντες ἀ μη δέι αἰχνεῖς πέρδεις χάρειν (*).

(*) Confer. Eph. IV. 14. Philip. I. 10.

§. XVII.

Obiectio.
 Veritates
 infine-
 que bonas
 neque
 malas es-

Dices forsan cum illustris cuiusdam viri cautelis (*),
 veritates in se esse neque bonas neque malas, adeoque indifferen-
 tes, (Alium enim esse conceptum veri, aliud boni) ignorantiam
 & errores neque bonos esse neque malos. Nullum esse dubium,
 veritates multas noxias dari & inutiles e. g. cognitionem praeco-
 cem rerum venearum, cognitionem numeri in granis fabuli, no-
 titiam eorum, quae singuli auditores habent in marsupiis. Certum
 autem esse atque exempla id docere, veritates & errores bonos
 vel malos dici, prout quis illis reatur. Vsum vero hic a volun-
 tate humana dependere. DEVM enim, ut multas malas inten-
 tiones hominum quotidie directione prouidentiae suae ita dirigat,
 ut inde veniat bonum, ut ex exemplo fratrum Iosephum venden-
 tium videre possemus; ita multo magis errores intellectus humani
 dirigere ad bonum, ut errores Abimelechi, Cornelii, Paulli testa-
 rentur. Voluntati humanae adscribendam esse usum & abusum
 veritatum. Nullam veritatem tam salutarem esse, si ea bene ve-
 taris, qua hominum malitia non abuti possit, ut noxia fiat, &
 nullum errorem tam pestilentem esse, quem non emendare possit
 cor sapientis. Quibus ita positis, sequeretur veritates, & er-
 rores neque praecoptos neque prohibitos, sed usum tan-
 tum & abusum. Custodia ergo non tam in veritatibus
 occu-

§§ (13) §§

occuparetur conseruandis & erroribus reiiciendis, sed in
vnu veritatum & errorum custodiendo, & abusu evitando.
Hac ratione custodia ipsius veritatis neque mandata esset
neque verita, & sic officii naturam amitteret.

*) P. I. c. I. n. 6. seqq.

§. XVIII.

Haec ideo fuisus adponere placuit, vt sensus illustris *Intenſio*
auctoris eo clarior, ipsiusque opinonis examen eo faci-
-
llus reddatur, maxime cum hodie multi varias forsan con-
tra doctissimi auctoris mentem, inde deriuenter sequelas, *euoluitur*.
quae damno suo ac periculo non carent. Ut vero rite
progrediamur, ante confitendum est, celeberrimum Vi-
rum eo tendere, vt sapientiam non in sola cognitione veri, sed
in cognitione veri boni, quaerat ; scientia enim inutilium & no-
xiarum veritatum secundum illius mentem, potius stultos red-
dit, quam sapientes ; hos decet scientia rerum toto humano gene-
ri vñsum. In his, si recte intelligantur, nihil quod cen-
sura dignum sit, videtur deprehendi. Sed iam sibi eo-
rum proponit obiectionem, qui *omnes veritates esse utiles*,
quia perficiunt intellectum in cognitione veri, eiusque separatione a
falso, haec tenus sibi persuaserunt. Eos dubio procul innuit,
qui e. c. in mathesi infinitas fere quaerunt speculations,
quarum vñsum nec ipsi explicare possunt, excusat tamen
labores suos eo, quod eius generis contemplationes per-
ficiant intellectum. His igitur respondet *veritates insene-*
que bonas esse neque malas, & quae alia sunt in praecedentibus allata.

§ XIX.

Si dicendum quod res est, tutius illis respondisset, *Inutiles*
intellectus perfectionem vel ad ipsam illius pertinere essenti-speculati-
am, vel ad aptitudinem eiusdem finem suum eō feliciorones non
adsequendi. Priori modo intellectum speculationibus *perficiunt*
perfici posse, nemo cui sanum est sinciput, sibi persuade-
bit. Posteriori vero ratione vel subtilior redditur intelle-
ctus, vt subtiliores capere queat res, atque doctrinas, vel
magis ac magis instruitur illis veritatibus, quae ad vitam ri-

te peragendam ac ad felicitatem faciunt a gratia DEI expe-
ctandam. *Hoc* de speculationibus illis affirmare non au-
dient illarum patroni ; *Illud* vero facile quidem damus ;
sed experientia quemuis docebit, inutilem speculatio-
num, licet subtilium, loco adhiberi posse doctrinas alias
scitu necessarias, quae interdum altioris & subtilioris sunt
indaginias ; vt iam nihil dicam, quod eius generis subti-
les contemplationes intellectui sint impedimento, quo
minus ad utilem atque necessariam peruenire queat co-
gnitionem. Hac ratione ab illis speculationibus, nisi ali-
um habent usum, nulla intellectus expectari potest per-
fectio. His ipsis tamen non reicimus statim omnes subti-
les doctrinas, quae saepius scitu necessariae sunt, sed mo-
do inutiles otiosasque speculationes :

§. XX.

Responsio. Ut vero tandem ad ipsa iam laudati viri, pace quidem
Veritates huius, nos conuertamus placita, *veritas in se* eadem esse
in se bo- creditur, ac quoad naturam suam considerata. Haec na-
tura vel internis absoluuntur causis, quae sunt *materia rei*
rores ma- ac *forma*, aut vt generatim loquuntur, *materiale* ac *formale* ;
vel simul externas complectuntur, & inter has praeferunt
ti sunt. finem. Priori modo natura veritatis Logicae consistit in
conuentientia nostrae cognitionis cum rebus, de quibus
agit ; vt supra illam descripsimus. Posteriori vero rati-
one illa cognitio rebus conueniens veritas dicetur, quae nos
vel mediate, vel immediate ad honestas ac prudentes du-
cit actiones & ad ipsam beatitudinem viam munit. Ultimo
hoc sensu nulla cognitio veritatis meretur nomen, quam que
necessaria est ac utilis ad fines mox praescriptos. Hac signifi-
catione nulla dabitur veritas, quae non bona sit ; est enim
medium, aut conditio, cum in finem à DEO concessa, vt fi-
nibus illis consequendis aut exspectandis inferuireret. Et
cum omnes errores sua natura sint intellectus imbecilli-
tates, quae plerumque nos ad pericula abripiunt, qua ra-
tione illi in se non sunt mali, non video. Si in praece-
denti

denti veritas accipiatur sensu, abstrakte quidem concipi potest illa sine fine respiciendo ; sed an in concreto, vt loquantur, veritas genuina detur, quae nullam quaerit minimum querere debet finem, valde dubitamus. Aut enim finem suum agnoscit, aut frustranea est. Si hoc, veritatis nomen haud tuebitur; vnumquodque enim non ex huius illiusue placito, sed intentione DEI atque fine, illius indice, aestimandum est. Sin illud, repetenda sunt, quae mox in praecedentibus attulimus lineis. *Nula ergo datur veritas genuina, quae in se non bona est, nullusque error, qui natura sua non malus dici debeat.* Multae praefertim singulares dantur veritates, quae inutiles videntur & noxiae, quae tamen suum usum saepius necessarium habent. Quae ab Auctore illustri adferuntur exempla, ad ea pertinent, quae ex accidenti sunt, non vero ad ea, quae veritati in se, aut quoad naturam suam consideratae, tribuenda sunt. Hac igitur ratione, mea quidem sententia, firma manent, quae de custodia seu officio dicta sunt.

§. XXI.

His in re ipsa deprehensis & ita euolutis, quiuis vi-*Definitur*
det, custodiā veritatis esse officium, quo eruditū opitulantibus il-*custodia*
lis, vbi opus est, imperantibus, secundum genuinæ regulæ præ. veritatis.
scriptum sedulo cauent, ne veritatis ad veram felicitatem se situ
necessariis & utilibus errores, maxime qui aliquius sunt momen-
ti, admiscantur, vt hac ratione homines genuina & pura gaude-
ant cognitione, secundum quam vitam rite insituere & à D E I
gratia veram expectare queant salutem. Quae vel ad illustran-
dam, vel defendendam hanc faciunt definitionem in pra-
ecedentibus dicta sunt, vt hoc negotio iam tuto possimus
supercedere.

§. XXII.

Quemadmodum vero, vt ex inductione patet, & c. *Ordo dis-*
CERO (*) haud obscure agnouit, omnia negotia, & sic et-*seratio-*
iam officia, tam secundum leges, quam prudentiae regu-*nis pro-*
las, dirigenda sunt : ita prorsus eadem ratione de veri-*ponitur*
tate

tate custodienda erit iudicandum. Et quia utraequae eius sunt amplitudinis, ut peculiarem requirant tractationem; à bona methodi praecepsis vix aberrabimus, si & leges & prudentiae regulas distinctis proposituri sumus capitibus, Nec ullum est dubium, quin haec nostrae disputationi sufficient, si voluntas nostra eius esset perfectio-
nis, ut agere statim posset, quae leges praescribunt, & prudentum regulae; Sed cum sine praewia praeparatione nostra voluntas ea non sit, quae agere possit, quicquid debeat; prius quoque docenda sunt, quae ad eius faciunt emendationem. Hinc tria distincta, oriuntur *capita*, quae quidem in omnibus rebus moralibus tractandis necessaria videntur, quorum *primum*, quae ex praeparatione ethica praemittenda sunt, adfert; *secundum* leges propont; & *tertium* regulas prudentiae commendat. Hoc ordine & nostram instituemus commentationem.

*) L. I. de off. c. III.

CAP. II.

DE

Praeparatione Voluntatis ad Veritatem rite custodiendam.

§. I.

Quid & Praeparatio Voluntatis, ut in philosophorum consideratur quatuorplex scholis, est actio vel potius complexus plurium actionum, quibus voluntas ab inordinato amore indeque fluentibus prauis præpara. propensionibus & affectibus liberatur, veroque & ordinata a-
tio voluntatis fit? mori redditur, ac ita instruitur, ut aptiasiat coniunctioni cum DEO & exercendis officiis a legibus & prudentiae regulis praescriptis. Haec præparatio vel *generalis* est vel *specialis*. *Generalis* est complexus omnium actionum ac mediorum, quae gene-
ratim

ratim voluntatis medentur vitiis a philosopho cognoscendis & emendandis. *Specialis* est complexus illarum acti-
onum mediorumque, quibus his illisue sp̄eciatim vitiis,
certa quaedam officia impeditibus, paratur medicina.
Illa in vniuersa disciplina morali traditur atque praescribi-
tur, vt omnibus voluntas, quantum fieri potest, libe-
retur vitiis vnumquidque negotium impeditibus. *Hec*
ante confituit vniuersalem præparationem, simul tamen
ea potenter inculcat, quae præparatione ad hoc illudne
negotium inferiunt. Et cum officia specialia campum
repraesentent amplissimum, cui rite & distincte perlungando
disciplina moralis vix sufficiat; post generalem volun-
tatis emendationem quaedam tantum in disciplina morali
plerumque examinanda censentur officia, vt applicatio
illius ad alia quoque exempla fiat facilior. Interim di-
sciplinae huius mirifice promouemus incrementum, si da-
ta occasione hanc illamue doctrinam vtilem, quam illa
speciatim attingere non poterat, peculiari euolumus dis-
quisitione.

§. II.

Quemadmodum itaque alibi data opera ante oculos *Quae ge-*
positum est, voluntatis propensiones & affectus ab amore in-*neratim*
ordinato atque hinc fluentibus principibus vitiis, *ambitione*, *ad volu-*
luptate ac auaritia, *vt & immoderatis liberandos esse mo-*
tibus, atque *ad verum ordinatumque amorem ac modera-*
mendationem per certa media reducendos: ita hæc omnia gene-*ra-*
ratim dicta ante constituiimus, & tantummodo *qua ratione* pertinent,
voluntas *ad custodiam veritatis speciatim præparanda*, quibus *ante con-*
nam libertaria vitiis, *ad quem transformanda sit statum ac qui situun-*
busnam mediis præparatio inservienda? ea, *qua* decet, bre-*titur*.
uitate absoluemus quæstiones.

§. III.

Vt præparatio generalis ad ductum suæ naturæ *Fines no-*
speciatim finis atque circumstantiarum dirigenda est; ita *stræ pre-*
fidem plane de præparatione speciali nostroque negotio *paratio-*

C dicens. *nis.*

dicendum erit. *Prīns* isque *proximus*, qui clavis totius rei cuiusdam naturae merito creditur, in nostra praeparatione est *aptitudo voluntatis*, custodiendae veritati accommodata; *remotus* est ipsa *custodia veritatis rite exercenda*. Hic vero cum illius sit mensura, tantum abest, ut prætermitti possit, ut ante omnia potius cognoscendus sit & examinandus. Circumstantiae nostræ praeparationis variae inueniuntur, quarum potiores infra sunt adducendæ. Hinc vero primum nostræ praeparationis fluit cognoscendi principium: *Quascunque perfectiones & virtutes aptitudo veritati rite custodiendae accommodata requirit & alias circumstantiae huius praeparationis suadent, illis inservienda est voluntas; quibus eiusdem* vero *vitis impeditur illa custodia & quae alias disuadent praeparationis nostræ circumstantiae, illis liberanda est voluntas.* Verum & certum esse principium nostrum, & res ipsa docet, & aliunde quoque manifestum est, cum omnia negotia, finis & circumstantie dirigant. Nec obscurum erit cuidam, qui modo voces & rem ipsam simul considerat. Quod tandem adaequatum sit, inductio facile ante ponet oculos.

§. IV.

Virtutes *& vita, speciatim cognoscamus, finem atque circumstantias nostræ praeparationis paulo distingui euoluemus. Quod custodia ad finem attinet, aptitudo illa cognoscitur ex fine praecedenti nempe ex officiis in custodia veritatis secundum prænotari scripta legum & prudentiae regularum exercendis. Quam meven-* cunque enim aptitudinem exercitatio horum requirit officiorum, illa quaerenda est in nostra praeparatione. Referenda huc sunt tam quae generatim quibusvis praemittenda censentur officiis, quam speciatim illis, quae in custodia veritatis praestanda sunt. In omnibus officiis requiritur, ut fiant ex studio se & actiones ad voluntatem DEI componendi, ex verò & ordinato erga DEVUM, erga se, & alios amore. Idem ergo de nostro negotio dicendum erit. Omnis itaque abesse debet pbilantia, & quae inde ortum trahit

trahit *ambitio, auaritia & voluptas.* Haec iam antea dicta & ita in promtu sunt, ut disputatione non egeant. Qua vero ratione studium illud in nobis excitandum, atque amor in ordinem redigendus, quo item modo philautiae ac speciatim tribus inde ortis virtutis obicem ponere queamus, id quidem huius loci non est; cum ea curare debeamus, quae speciatim nostrum tangunt negotium; caetera interim ex disciplina morali, ut diximus, repetenda sint.

§. V.

Custodia veritatis verlatur vel in veritate *manifesta & Veritatis ad normam Scripturae S.* aut ipsius rei dumum examinata, vel in ea, quae *obuoluta* in obscurio latet, quam tamen *varia est.* hic illeue eruere conatur. Eadem saepe occupata est in veritate *certa*, non raro in *probabiliti*; saepius in *magis necessaria*, interdum in *minus* aut plane non *necessaria* custodienda. Veritas quoque vel defendenda est contra virum *autoritate ac potentia florentem*, aut contra *minus potenterem*, aut qui alias minoris est existimationis; item contra *infirmum* aut *maliotiosum* vereque aduersarium; porro contra eum, qui sine calumniis errorem proponit, vel qui simul veritatem ipsam eiusque defensores lacescit. Haec omnia sunt vel in republica, in qua aduersarii primastarent, vel in qua nulla vis hostium veritatis facile metuenda.

§. VI.

In hac tam varia veritatis custodia sequentes observantur *prauia, adficius & peruersae voluntatis propensiones*, quae officia custodis vel impediunt vel pervertunt. Communiter nempe eius generis custodes vexant *inordinati inclarescendi, contradicendi, aliosque taxandi conatus*, ambitionis filiae, *ignavia* item & *suspicio*; *fervor nimius* & adversus eum, cuius placita examine aut refutatione digna habentur, ingrauefcens *odium, ira*, atque *inuidia*. Speciatim vero circa *veritatem* haec tenus *ignotam* ac iam ab aliquo euoluendam saepe quosdam, occupat *intempestiuum nouitatis odium atque inuidia.*

C 2

In

*Quenam
inde cui-
tanda sine
vitia.*

In custodia veritatis probabilis aut non necessariae & a qua infirmus aberrat non raro idem feruor, eademque obseruatur *amaritudo* ac in certis & necessariis doctrinis atque iis, quae contra malitiosum quendam tuenda. Si veritas contra potentem aut persecutio*nis* tempore defendenda est, metus ac *intempeſtua lenitas*; fin aduersus minus potentes & qui non adeo magnae sunt existimationis, *contemnus* adversariorum, custodem ad officia sua rite exercenda inhabilem reddit. Et quae alia sunt, quae nos satis superque docet experientia. His ergo liberanda est voluntas.

§. VII.

E diuerso si eandem custodiā pro diuersitate sua consideramus, deprehendemus, generatim officia custodum mirifice promoueri genuina erga dissentientes & aduersarios *charitate veritatisque studio*. Speciatim vero custodem aptiorē reddit *vigilantia*, ac *zelus honestus* limitesque non transgrediens, ut & *genuina animositas*, quam decens comitatur *modestia & constans*. His enim rite utens nec potentiorum veritatis hostium meruet insultus, nec malitiosorum parcer temerati; sed veritatem certam ac necessariam defendet masculū, & ne nouis disseminetur error, aut antiquis recouaratur, omni cauebit circumpeſtione. Iisdem minitūs patienter feret, quae in custodia interdum toleranda sunt incomoda ac calumniae, neque tam has, quam errores potius in adversariis ac dissentientibus retunder, adhibita tamen propter illas ad meliorem vitam admonitione. Et quae itidem alia sunt, quibus instruenda est custodis voluntas, queque finis ac circumstantiae custodiendae veritatis postulant atque suadent; quotidiana obseruatione facile addiscenda.

§. VIII.

Quid intelligatur per in-

Ut vero & virtus & virtutes uberior edoceantur, media que illa eritandi, has vero adquirendi cognoscamus; data opera de his omnibus, decenti tamen breuitate, agamus necel-

necesse erit. Inter pravas propensiones officia veritatis custodum impudentes ac peruerentes primo loco positus est *inordinatus inclarescendi conatus*. Non reuicimus studium gloriam DEI, suam proximique utilitatem laudatu dignis actionibus promouendi; quas, vel virtuosis non quarentibus, sequi solent egregii bonorum applausus. Eius generis studium potius commendandum, tantum abest, ut culpanum sit. Nec illorum improbamus *merem*, qui officiis ecclesiae ac reipublicae praefstandis apri, licite occasionem quaerunt & aptitudinem suam & inferuendi promptitudinem modesta, ut decet, ratione indicandi. Quibus enim data est potestas eligendi homines ad munera ecclesiae atque reipublicae idoneos; illi haud alia ratione horum vires & voluntatem cognoscere possunt. Sed eorum detestantur *conatus*, qui ut quoconque vel illicito modo inclarescant, nihil faciunt reliqui. Est hic *conatus* ambitionis species aut filia, id quod dixisse sufficit, si improbadus est aut reuiciendus. Quemadmodum vero omnia virtus, ducent philosophia morali, maxime emendantur representatione malorum atque incommororum, quae virtus sequi solent, & quibus auertenda est voluntas: ita etiam virtus in custodia veritatis emendanda eadem ratione corrigentur.

§. IX.

Cogitent ergo custodes veritatis, I. quod hoc inclare. Quomodo studium non nisi ambitionis sit fructus eiusque iterum pabulum exitum, quo ipso & DEO & hominibus exosci redditur. Ambitus sit ille DEum throno quasi mouet, cui ideo resistit supremum te? numen (*) Inter homines tolerari potest aegerrime. Et Cicero (**) brevibus ambitionum ita describit conditio nem: *Homine ambitionis vinculo irretito, qui que e popularibus suffragiis totus pendeat, nihil usquam infelicius reperiiri potest.* II. Quod hoc ipso studio impulsus multis id molestiae non merentibus viris & qui omni laude potius digni sunt, iniuriam facint. Qui non nisi gloriam eaptant, vel incendio templi Ephesini Herostratum (***), imitaturi celebrioris fieri optant. Et cum parum

C 3 hono-

honoris adquirere videantur, si cum minorum gentium hominibus rem habeant, illustriores adgrediuntur, eosque suo veritatis custodiendae falsa quidem specie refutare student, qui manifestas proponunt veritates, vel qui in non adeo necessariis aliquando aberrant, ob alia merita facile excusandi. III. *Quod ipsa veritas, quam custodiendam sibi eius generis homines proposuisse videntur, maximum inde capiat derrimenum.* Qui sub custodiae praetextu inclarefcere desiderant, ambitionis affectu saepius abripiuntur, ad veritatis deinde cognitionem, multo magis custodiām, plane inepti. Errores putant esse, qui manifestae sunt veritates. Has in dubium vocantes aliorum simul mentes reddunt dubias, ac in scepticismi ferme praecipitant abyssum. Stobaeus (**) ex Euripide adserit, quod magniconatus ut plurimum aberrent. IV. *Quod illegitimum inclarescendi studium proxima ad turpitudinem sit via.* Quam quaerunt gloria, alii facile vident, & si que gaudent, hi detrahent student. Nec occasio his deerit; cum illi ut dictum facile errores committant & hoc ipso se turpiter dent.

(*) 1. Petr. V. 5.

(**) Confol. (***) STRABO, L. XIV.

(****) Serm. XXII. p. 185 §. X.

Contra-
dicendi, aliosque taxandi quoque dicenda erunt conatibus. Non intelligimus officia, quibus veritatum hostibus contradicimus, aut nouas doctrinas & quae periculose videntur, decenti ratione examinamus. Haec enim quam maxime commendantur. Sed quod multi sine causa ingenuandum? is contradicunt viris, hosque taxent, modo vt videantur singulari indicio ac eruditione praediti; hoc est, quod maxime improbamus. Proueniunt hi conatus, itidem maxime ex ambitione, vt nemini obscurum esse potest; ideoque statim meritoque suspeeti sunt. Homines praeterea plerumque ita sunt comparati, vt iuste contradicentes legitimosque censores ferant aegerrime; quodnam ergo odium, quodnam saepius periculum & vituperium manebit illos, qui

qui sine illa causa taxant alios, aut iis contradicere co-
nantur?

§. XI.

Ignavia efficit, ut quicquid etiam proponatur, quasi *Ignavia* dormientes vel non videamus, vel non curemus. Volu-^{quomodo} ptatis haec filia est, omnium facile malorum, quae illam ^{expellent} comitantur, ex ase haeres. Haec custodem plane mutum da?
& inhabilem reddit. Perpendat vero is, cuius praecipue est veritatem custodire, quod hac ratione errores sine im-
pedimento oriuntur atque incrementa capiant, quod perni-
tiosae inde sequantur actiones & mores peruerbi, quos va-
ria excipiunt mala; quibus omnibus ansam praebet, ha-
rumque causa moralis sit ignavius, a quo ideo ratio difficil-
lime erit reddenda; ut alia taceam, quae caries hos mutos
premunt incommoda.

§. XII.

Si quid praeterea aliud custodem veritatis in trans-
versum agit, certe *suspicio* est, ex signis infirmis valdeque ^{Suspicio} fallacibus orta praesumtio, in deteriorem tamen omnia in-^{quomodo} terpretans partem. Qui hac laborat custos, etiam si alius ^{erit} custoda?
genuinam veritatem ex animo candido proponat, pessima
tamen quaeque suspicatur; maxime vero si alter non cau-
te satis illam proferat veritatem. *Non enim* facile *suspicioni*
debet argumentatio. (*) Quonodo autem eius generis custos
veritatem ab erroribus discriminabit, qui iam *omnia sus-*
pecta iudicat. Si nihil aperte deprehendi potest erroris
aut periculi in aliqua sententia, suspicio sibi persuadebit oc-
culte latere venenum. Sed hoc saepius ira latet, vt ne Ar-
gus illud omni moto etiam lapide inuestigare queat, cum
re ipsa nullum adsit. Hoc occultum venentim in custo-
diendis suis opinionibus fallis pontificii aseclis suis incul-
cant, ne veritatem euangelicam in scriptis Lutheranorum
quaerant. Hinc iam dudum suspicio antiquis *pessima mor- 2*
tibus pestis dicta est, quae ut *maligna insontem quoque* depri-
mit.

mit. (*) Custos ergo licitis quidem non supersedere potest coniecturis, cum in animis hominum multae sint latrabe*n* multique recessus: (****) at suspicio ex animo tollenda. (****) Hoc ut fiat, custos veritatis. I. iniuriam, quam alii hoc ipso frequentissime facit, expendat; II. ipse mentem suam emender; ut enim quisque est vir optimus, ita difficilime esse alios improbos suspicatur; (*) III. Benigna, quantum fieri potest, ubique vitetur rerum astimatione; IV. cogitet maxime, suspiciones niti signis minus valide concludentibus, quae tam facile fallunt, quam rem, vt est, indicant. Hinc quies suspicio vana apparuit, obiurget credulitatem. Haec castigatio consuetudinem efficiet non facile credendi. (**) V. Prudenter inquit in animum adversariac dissentientis, ut apertius mentem eius percipiat. Hac ratione eo certius detegi errores, & in herba, ut loquuntur, saepius suffocari, sed vero & fundamenta suspicionis destrui possunt. VI. Nec adulatoribus statim credendum ac calumniatoribus. Comperatum enim habemus, quod his plerumque falsissimis animis praebent suspicionibus.

(*) SENECA L. II. de Inv. c. 24. (**) PHAEDRVS L. III. f. 49.
 (****) CICERO pro Marcello. (****) SENECA L. II. de Inv. c. 23. (*) CICERO ad Qu. Fr. L. I. Ep. I. (**) SENECA ibid. c. 24.

§. XIII.

Feruor nobis est zelus nimium effervescent, & quatenus ab ira distinguendus censetur nihil aliud esse potest, quam gradus eminentia, quem amorem honesti alias nuncupamus. Occupatur hic in promouendo bono atque honesto & auertendo aut reprehendendo malo ac turpi. Vt trunque saepius cholericu*m* ac cholericu*s* sanguine*m* ita viuide sibrante oculos quasi ponunt, ut affectus facile cum enormi excitetur vehementia, quam feruorem dicere consueuimus. Hic cum in re honesta & laudabili occupatur, etiam quando nimis vehemens est, speciem boni in fronte gerit. Hinc homines incauti hac saepius decipiuntur; ut illa quoque praefente nihil metuant periculi.

Si vero

Si vero eum sine partium studio intueamur, experiemur, vehementiam illam valde esse periculosam; id quod maxime etiam in custodibus veritatis obseruatur. Mentes coecat, ne verum à falso rite discernere queant. Praeципitiae proximam praebet occasionem, ut ad dignoscendam veritatem plane non idonei sint, qui hac vehementia laborant; vt ne dicam quod, si quid loquuntur aut scribant, quod ad custodiam veritatis facere debebat, verbis minus accuratis, odiofisque saepius rem perdant, minimum haud exiguo sint offendiculo. Probe ergo expendat custos veritatis, quod hac ratione sine suo plane excidat; plus damni pariat veritati, quam utilitatis; & multos, cum quibus res est, sape durius trahit arque ita laedat, aliis vero scandalum praebeat. 2. Quoties custodia vel ore vel scriptis exercenda, sollicite curer, omnique ratione animum dirigat, ut vehementia evitetur, saepius ad animum reuocando, quae illam sequi solent incommoda. 3. Si quid bac in re humani passus est custos, diligenter inuestiget, qua occasione in feroorem praecepit factus sit; quatenam dama secura; semelque ac iterum sibi proponat nunquam aliquid suscipere, si vel tantillum ferooris sentiat. 4. Si scriptis defendit veritatem, postquam illa exarata sunt, examen instituit, an forte ferooris quid inter scribendum se immiscuerit, quod vel veritati quidquam derribat, vel verba acerbiora produxerit, ut illud emendare possit.

§. XIV.

Odium, ira & invidia nostro quidem in negotio eo *Adfectus* dem ferme veniunt censu. Intellectum custodis coecant, *item odii*, voluntatem determinant, vt in aduersario aut dissentiente *ira* & non nisi falsa videat ac periculosa, si etiam nihil erroris *inuidiae*, aut periculi deprehendatur. Hi ergo motus quendam ad custodiam minus reddunt idoneum. Quae vero hic praescribendae regulae, deprimentis aut minuendis illis affectibus aptae, hae in libellis ethicis iam proponuntur, vt breuitatis studio lectorem ad illos remittere possimus. *Intempesuum nouitatis odium* saepius in custodibus depre-

D

hen-

hendi multa probant exempla. Ipsa Script. S. quaedam adfert, B. AFFELMANVS totam rem optime sic exprimit: (*) *Sæpe si, ut imperioribus aliquid videatur nouum, quod tam
en est antiquum. Quidam doctrina hæc noua? clamabant
Iudei ad Christum, Marc. I, 27. Nona quaedam insersis auribus
nostris, dicebant Athenienses ad Paulum Act. XVII, 19. Cuius
apparentiae ratio est, quia homines non semper distinguunt, cœn
debebant, inter nouum & renouatum, sed sæpe pro vero nouo
babent, quod tantum est renouatum, cœn ab erroribus pristinis re
purgatum, cuius quidem renouationis infallibilitas nota est, cum Scri
pturis S. (& re ipsa) conuenientia. Hoc vero odium facile extin
guitur, si modo custos veritatis doctrinam aliquam rite ex
aminet, num principiis & normae veritatis recte conuenient
at, an minus? Si illud, veritas iam adsum in principiis, adeo
que non tam nova est, quam recens euoluta. Sin hoc,
non modo noua, sed plane falsa & reiicienda est opinio.*

(*) in Manuduct. ad doctrinam de praedestinatione in
dedic. lit. 2. Conf. celebret. MVLIVS t. o. p. 31. Seq.

§. XV.

*Metus & intemperiuam lenitatem, quae custodem maxi
mopere impediunt in custodiendis veritatibus mirum quan
tum minuet ille, si probe perpendat, quod hoc modo gloria
DEI, sui proximique commodum valde periclitetur; quod no
li amittere exiguum bonum aut eius generis expectare malum;
amittat vero eo ipso longe maius bonum, h. e. quod renuat a
mittere exiguum & desultoriam hominum benevolentiam
aut horum expectare iram; amittat vero ipsam DEI
gratiā, qua non impetrata, omnibus tandem priuatur
bonis; (*) quod metus iste quoque sapissime vanus sit, omni
que fundamento destitutus, qui ideo examinandus est. SE
NECA dicit: Quæ velut imminentia exparisti, fortasse un
quam ventura sunt (**). Sapientis ante oculos ponat custos man
datum DEI de custodienda veritate; maxima item commoda inde
procedentia (***) præsidiumque DEI omni malitia hominum
super*

metu

superius ac in eius generis officio certo expectandum (***) . Optime loquuntur Confessores veritatis euangelicae cum Philippo Melanchthonem, (*) quando, non delectat, inquiunt, nos discordia, nec nibil mouetur periculo nostro, quod, quantum sit in tanta acerbitate odiorum, quibus intelligimus accensos esse aduersarios, facile intelligimus. Sed non possumus abiicere manifestam veritatem & ecclesiae necessariam; quare incommoda & pericula propter gloriam Christi & utilitatem ecclesiae perferenda esse sentimus & confidimus DEO probari hoc nostrum officium & speramus aequiora de nobis iudicia posteritatis fore. Contemtus tandem aduersariorum ac dissentientium, qui non adeo magnae sunt existimationis, facile efficit, ut custos vel minus periculi metuens rem leui cura & sic nulla attentione; vel nimis feruide, odio maiori & ira erga inferiorem concitatus, eandem tractet, omnibus ideo periculis obnoxius, quae in praecedentibus premebant seruorem. Praeter haec etiam probe expendat, quenam momenta in custodia veritatis posita sint; & quod nec minimum semper periculum, aut infimis hostiis facile contemnendus sit, cum saepius ab his quoque pependerit rerum eueratio.

(*) Matt. X. 28. seqq. (**) Epist. XIII. (***) c. I.
S. 14. & 20. (****) Matth. X. 28. seqq. (*) in Praef.
Apolog. A. C.

Hij & alii mediis non modo evitanda sunt peruersae **Commentationes** voluntatis propensiones atque animi perturbationes, sed & iam datur illa genuinis virtutibus instruenda, ac legitiimis stimulis excita charitas tanta est ad veritatem custodiendam. Principia virtus erga ad custodi veritatis necessaria est *genuina* erga aduersarios & uerarios dissentientes *charitas*. Non commendamus nimium amorem & dissidentem, quem intempestiuu plerumque excipit lenitas; sed tientes genuinam charitatem, qua ita prosequimur alios, ut errores ea, qua decet, modestia detegamus, illis ante oculos caponamus, nullum adesse veritatis fundamentum non caramini, sed solidis demonstremus argumentis, & propo-

fitis errorum periculis atque incommodis, eos ad saniores
 mentem reducamus, quo non modo gloria DEI aliorum
 que hominum, sed & aduersariorum atque dissentienti-
 um promoueatur salus. Hac instructus custos attente ve-
 ritatem cognoscit, ab erroribus distinguit, decenter omnia
 agit & sic quam maxime aptus fit veritati custodienda.
 Nec dubitat AVGVSTINV S(*) qui fieri possit, ut inter
 ebarissimos aliquid alterutro sermone contradicatur, nec tamen cha-
 ritas ipsa minuatur, nec veritas odium pariat, quae debetur am-
 citiae. Et CYPRIANVS (**), si quid, inquit, iste frater aliter,
 quam iste sentit, deposita dissensionis amaritudine & fraternae
 charitatis suauitate seruata atque in integrum restitura, diligentius &
 iniquilla consideratione quaerendum vel discendum vel docendum.
 Neque enim quorumlibet disputationes quantumvis Catholicorum
 & laudatorum hominum velut scripturas Canonicas habere de-
 bemus, vt nobis non licet salua honorificentia, quae illis debetur
 hominibus, aliquid in eorum scriptis improbaro atque respuere,
 si forte inuenierimus, quod aliter senserint, quam veritas habebat.
 Perpendat ergo custos I. eos, qui errores vel ex infirmitate, vel
 malitia fouent, non tam odio, quam commiseratione dignos esse.
 Vtraque enim ratione miseri sunt, maxime vero si ex ma-
 litia errant. Sunt tamen homines, creaturae supremi nu-
 minis, nostriisque socii, qui eandem naturam nobiscum
 nacti sunt, qui ad eandem felicitatem facti, & si aberrant,
 ad regiam iterum suauiter reducendi sunt, vt eandem no-
 biscum expectare queant salutem. *Hoc*, inquit,
 CICERO (***) natura praescribit, ut homo homini quicunq;
 us sit, ob eam ipsam causam tamen, quod is homo sit, consilium
 velit. Et alibi (****) idem dicit: *Non audiendi sunt, qui*
grauius insendum inimicis putant. Breuibus: Errores fugi-
 endi; errantes vero ad nos vocandi sunt. Sociorum e-
 nem commoda promouere, damna auertere nostri erga
 alios est officii. Ita vel ethnicus sentit. Si scripturam
 S. euoluamus, videbimus, eam longe potentius inculcare,
 inimicos esse amandos, errantesque ad viam reuocandoS (*). II.
 Cogi-

¶ (29) §.

*Cogitemus quoque, nos iisdem obnoxios esse imbecillitatis & vitiis
is: quod ergo inde proueniens odium erga nos improbamus,
eo alios prosequi non decet; & quam ab aliis postula-
mus charitatem, hanc illis iterum denegare non licebit.
Et quae alia sunt, quibus amorem erga errantes in nobis
accendere possumus.*

(*) Ep. XIX. ad Hieronymum. (***) Epist. CXI.

(***) L. III. off.

(****) L. I. off.

(*)

Luu. VI. 27-35. Gal. VI. 1.

§. XVII.

*Studium veritatis, zelum honestum, animi in defendenda Qua ra-
veritate foritudinem, vigilantiam ac constantiam non adeo dif- fice-
fici negotio excitamus, si utilitatem, necessitatem & verita- terae,
tis gnauitatem saepius ad animum reuocamus. Limites ve- virtutes
ro & modestiam docebimus, si perpendamus incommoda sae- adqui-
pe maxima, quae illorum sequuntur transgressionem. rendae.*

§. XVIII.

*Haec potiora erant, quae ad voluntatis pertine- Transitus
bant praeparationem, & quibus instruenda erat illa, an- ad sequen-
tequam ad ipsam veritatis custodiam indeque deriuanda tia capita.
officia se accingeret. Nihil ergo jam superest, quam vt
nunc discamus, quaenam officia praescribant leges, atque
prudentum regulae.*

CAP. III.

DE

Legibus naturalibus in custodia veritatis observandis.

§. I.

*V*T in praecedentibus alibique toties demonstratum Finis est
iuimus, naturam rei & maxime finem esse omnium principi-
legum naturalium fontem; ita idem in praecedenti um cog-
nego- noscendi

legum negotio ante constituamus, necesse est. Fluunt eius generis praescripta vel ex ipso fine immediate & sine inter-
incomple-
uentibus aliis legibus, vel mediate, mediantebus aliis
praecepsit iam à fine deriuatis & cognitis. Quibus ita praemissis, qui quis, spero, id quod leges naturales in veritate custodienda iubent, non ita difficulte inuestigabit negotio.

§. II.

Hinc de-
riuatur
comple-
xum.

Custodiae nostrae finis proximus erat cognitionis puritas; remoti, vita rite instituenda, vera hominum salus & gloria DEI. Hi determinabant & illustrabant finem proximum. Ea itaque felicitas quaerenda erat, quam ad gloriam suam promouendam nobis concessit Deus clementissimus. Eam ingredi debebamus vitae rationem, quae veram non impiediebat salutem, & quae ab iis requirebatur, qui illam a DEI gratia expectabant. Ea demum cognitione erat adquirienda, quae rectam viam ad vitam rite instituendum ac tandem ad ipsam pandebat felicitatem. Haec vero erat cognitionis utilis & praesertim necessariae puritas conservanda. Hinc omnium legum circa custodiandam nostram obseruandarum fundamentum & principium erit: *Quicquid cognitionis utilis & praesertim necessariae puritas conservanda requirit agendum aut etiam omittendum, illud exercere aut neglige omnino debemus.*

§. III.

Idem il-

Non opus videtur adferre eius generis principii reflectita; cum qui quis esse verum ac certum, ex primo colligat capire, ubi rem ipsum & certum eius fundatum proposuimus; esse quoque universale inde concludimus, quod ex illo aliae fluant veritates; quod adsequatum sit, collectio totius doctrinae ostenderet; quod tandem evidens sit, ipsarum idearum ac terminorum, quibus absoluatur, testabitur consideratio. Interim maioris lucis ergo sequentia licebit repetere aut addere. *Constituit cognitionis puritas in complexu omnium veritatum ad felicitatem huius. & futurae*

vitae scitu vtilium & praesertim necessariarum, quibus vel plane nulli errores, vel illi minimum non admixti sunt, qui viam ad vitam rite instituendam ipsamque felicitatem à gratia diuina expedientem peruerunt. Quenam autem sint necessariae & viles veritates, ex fine facile cognoscendum erit. Notandum ergo, quod veritates vel illam constituant cognitionem, quaè viam ad vitam rite instituendam & felicitatem consequendam monstrant, vel cum hac nullum habeant numerum, adeo, ut neque scitu necessariae, neque viles videantur. Illas possemus vocare *necessarias generatim ac fundimentales*; has vero non *necessarias*, seu non fundamentales. Illae iterum duplici apparent specie, *vel* enim veritates sunt, sine quibus ordine diuino non peruenimus ad vitam rite instituendam, ac ad felicitatem; *vel* eius generis tantum sunt, quae praecedentes illustrant distinctiones que reddunt. Illas strictiori sensu *necessarias*, has viles vocare posses. Theologi eundem in modum inter primarios & secundarios distinguunt articulos (*). *Conservantur* autem eius generis veritates partim si fundementum illarum genuinum ab iis, qui apti sunt, euoluitur & aliis claris & accuratis verbis ante oculos ponitur; partim si à dubiis atque obiectiōnibus, saepius etiam vocabulis obscuris aut alias non accuratis, liberantur. Quibus omnibus autoritas superioris ad frangendam hostium veritatis pertinaciam saepius accedere debet. Principium nostrum ergo his ante positis hoc tandem reddit. *Quicquid veritatum ad vitam & felicitatem cognitū vtilium & praesertim necessariarum, ac ab omnibus, minimum illis, qui vitam & felicitatem peruerunt, erroribus separatarum complexus defendendus atque obiectiōnibus liberandus requirit vel agendum vel omittendum, illud omnino agendum vel omitendum censetur.*

(*) Conf. B. HVNNIUS in *Discept. de diffens. Fundam. c. i. seq.*

§. IV.
Ex hoc vero principio quaenam fluant leges & officia, speciatum iam euoluehdīm erit. Ordinis itaque gratia, & vt intellectus noster eo potentius instruatur ac continentur, *praemittuntur* *quaedam* *veritates*.

vniuersa uincatur, praemittendae sunt quedam *veritates vniuersales*, ex principio nostro fluentes, à quibus deinde reliquae vel

mediate vel immediate sunt deriuandae praceptiones.

Veritas I. Redeunt vero illae maxime ad tres sequentes. I. *Veritas*

ab erroribus probe & diligenter sunt separandae. Hanc ve-

ritatem ex principio nostro fluere facile probare possumus.

Probe ac diligenter separari dicuntur veritates ab erroribus,

quando hi, vt res requirit, genuinaque vigilantia, dete-

guntur ac ab illis distinguntur atque ne cognitioni nostrae

sub veritatis specie admisceantur ac promiscue tolerentur,

efficitur. Quod vero hoc fieri debeat, vel inde statim

colligitur, quod principium nostrum omnia praescribat fa-

cienda, quae ad conseruandam cognitionis nostrae puri-

tatem faciunt. Haec vero consistit in complexu veritatum

ab erroribus rite separatarum.

§. V.

II. Quaeuis veritas pro nexu, quem cum vita rite in-

stituenda ac felicitate habet, conseruanda est. Hoc iti-

dem ex nostro fluit principio. *Conseruandas esse veritates in-*

de ex praecedentibus notum est, quod sint vnicum medi-

um, quo ordine à DEo praescripto nobis via ad vitam rite

instituendam & felicitatem paratur ; quod negligere aut

perdere non decet, nisi simul genuinae vitae norma & i-

psa facile felicitate priuari velimus. Quod vero non pro-

miscue, sed obseruata quadam differentia conseruandae sint ve-

ritates, ex discrimine illarum, in principio nostro annotato

& in praecedentibus explicato, colligimus. Cognitionis

enim puritas, & hac ratione complexus veritatum conser-

vandus, ad normam vitae rite instituendae atque felici-

tatis diuidicatur. Quas itaque veritates, & qua necessita-

te haec illas iubet conseruare ; illae & eo necessitatibus gra-

du quoque sunt custodiendae. Quae vero nullum, mi-

nimum non adeo arctum cum vita & felicitate habent ne-

xum, illas vel plane non, vel non adeo solcite curare li-

cebunt. §. VII.

III. *Quius error pro ratione periculi, quod vitae & verae felicitati inde imminet, retundendus & abolendus est.* Haec veritas pari modo ex nostro cognoscitur principio. *Errores esse evitandos & refutandos, ex eo probatur, quod impedimentum sicut vita rite adornandae atque verae felicitatis expectandae.* Sed *differentiam quandam obseruandam esse, periculi inde metuendi maxime euincit discrimen.* In quibusdam erroribus nullum, in aliis minus, in caeteris maius imminet periculum. Idem haud obscure innuebat supra allatum principium.

In admittendis erroribus nemini licet esse tam faciliter. Admittere errores nobis idem est ac permittere, ut illi cognitiones nostrae admisceantur, minimum inter veritates tolerantur. *Hoc vero nemini esse integrum, quinvis commode ex prima nostra cognoscit veritatem.* Si enim separandae sunt veritates ab erroribus, qua ratione admisceri possunt, aut in cognitione vera tolerari? Ex quo & hoc fluit, non esse admittendum cognitionis & speciatim religionum indifferentismum. Hic enim maxime eo reddit, quod perperam multis fibi persuadeant, colli DEum posse sine cognitione veritatis, errores in se non nocere, tolerari hos posse inter caeteras veritates, his que admisceri (*). Quod autem inter verum Numinis cultum veramque cognitionem arctissimus detur nexus, & errores omnino sint noxi vitaeque rite instituendae ac verae felicitatis impedimenta, ex supra dictis facile cognoscitur. Errores vero ideo non esse tolerandos aut admiscendos, maxime si aliquius sicut momenti, quis inde non colligit? Quibus positis non potest non cognitionis & speciatim religionum reiici indifferentismus. Haec maxime sanguinei, iunioris aetatis homines, &c alii, qui nimis incuriam vivendi rationem querunt, ac firmis cognitionis & religionis fundamentis destituti, probabili saltu ratione

omnia cognouerunt, probe notare debent. Hi enim in ad-

mittendis erroribus & indifferentismo admodum sunt faciles.

(¹) Vid. celeberrimus noster IO. FRANCISCVS BVDDEVVS
in Institut. Theol. Mor. P. I. c. I. SeCt. II. S. 29. & itidem
celeberrimus GOTTLIEB VVERNSDORFIVS de Indifferentismo
Religionum diff. I. S. 33.

§. VIII. *tautum omni literisq;*

Veritates & errores ad genuinam normam sunt examinandi. Norma veritatis & errorum est, secundum quam illam & hos metimur. Alia vero est *incomplexa*; alia *complexa*. Illa est res aliqua, secundum quam examen veritatis atque errorum instituitur. Haec vero est *propositio* aliqua vniuersalis vera, vnde aliae fluunt conclusiones. Illa huius est fundamentum, & haec illam explicat, adeo ut idem sit, siue ad hanc, siue ad illam metiamur veritatem & errores. Examinari vero dicuntur ad normam genuinam, quando inquirimus in sententias ac opiniones hinc inde prolatas; num principio suo cognoscendi rite mitantur & ex eo fluant, an minus? Si illud, veritates erunt, sin hoc, errores. Quod autem veritates & errores ad genuinam normam sint examinandi, ex prima nostra rursus fluit veritate. Si enim ab erroribus separandae sunt veritates, hae & illi prius ad lydium lapidem examinandi. Hic lapis est genuinum vniuersiusque doctrinae cognoscendi principium, quod alia consideratione maxime *normae* venit nomine. Jam quae ore scriptisque proponitur cognitio maxime vel a Scriptura S. pendet, vel a consideratione ipsarum rerum in hoc vniuerso existentium, vel speciatim a testimonio humano. Illa Theologiae reuelatae, ista philosophiae & hae speciatim historiae praesertim profanae, vt vocatur, est cognoscendi principium. Et quemadmodum hoc in disciplinis vt dictum, a norma non differt; ita adducti veritatum fontes simul norma cuiuscunque erunt sententiae. Quae ergo ad theologiam referenda sunt, ad normam Scripturae faciae

sacrae & quoad ipsum sénium & quoad ea, quae inde rite sequuntur spectatae, examinanda merito censentur. Quae philosophorum placita dicuntur, ad regulam ipsarum rerum, de quibus agunt; & quae ad historiam profanam pertinent, ad genuinum monumentorum atque scriptorum ac relationum testimonium examinare debemus. Haec ergo erunt Lydius ille lapis, quo probare omnes debemus sententias.

§. IX.

Quae in Theologorum comprehenduntur foro, ad librorum quoque An libri nostrorum Symbolicorum normam examinare licet. Hi libri *Symbolici* maxime eo tendunt, ut illas veritates proponant ac spe-*norma* ciati inculcent, à quibus aduersari abeunt, quarum con-*fini*? trarium hi disseminant, aut quas incommodis & er- toribus facile occasionem praebentibus exprimunt verbis, vt eo facilius illorum errores euitare queamus. Quae ergo in his libris continentur, vel ipsis Scripturae S. verbis proponuntur, vel inde prono fluunt amne. Sunt ergo ipsae veritates scripturae S. nostris temporibus & cognitioi necessariae ita accommodatae, vt distinctius quodammodo, quid veritati theologicae consentaneum, & quid erroneum sit, explicent. Cur ergo ad ejus generis libros, ceu normam, opiniones hinc inde occurrentes non examinare queamus, nullam video rationem. Nec obstat, quod ipsa Scriptura norma sit, meritoque dicitur. Ut enim iuxta primam aliquam genuinamque regulam alia formatur, vñsum suum in examinandis rebus haud incommode exerens; sic etiam ad normam scripturae S. alia quoque formari potest, secundum quam itidem doctrinae occurrentes examinari queant. Hac ratione Scriptores primitiae ecclesiae symbola œcumonica, maxime vero Apostolicum, vocarunt *canonem veritatis minime versatilis*, (*) *regulam fidei immobilem & irreformabilem*, normam praedicationis in commune per omnes gentes aequaliter constitutam, certam item fidei regulam, per quam credentes catholicam teneant unitatem, haereticam conuincant prauitatem (**). Eodem modo nostraræ Ecclesiae

E 2

con-

confessoribus ac doctribus symbolici libri *normae* nomine veniunt; (***) immo eosdem formam Doctrinae secundum quam, cum ex verbo DEI sit desumpta, alia scripta iudicare & accommodare oporteat, (****) nominare haud dubitarunt. (****)

(*) IRENAEVS L. I. c. I. §. 19.

(**) AVGVSTINVS Serm. de temp. Homil. 181. Tom. X. opp.

Praef. (****) ab initio declarationis. p. m. 635.

(*****) Conferatur circa haec B. IOH. BENEDICTI CARPOVII *Isagoge in libros Symbol.* p. 5. & 27. seq.

§. X.

Praciudi- Veritates ergo & errores non secundum praeiudicatas opini-
cia non niones, ac speciatim semel electam examinandi sunt hypothesin.
debent Praeiudicatae opiniones sunt iudicia falsa, ex quibus alii erro-
normae res facile fluunt. *Praciudi-* appellantur, cum iudici-
loco addi- um feratur, antequam ferri debebat, h. e. antequam sub-
beri. iectum aut praedictatum horumque nexus cognoscetur.
*Praciuditum elec-*iae hypothesos vocant Logici, quando iudicium falsum ideo habemus pro vero, quod illud semel ele-
gimus & ab eo recedere turpe esse credimus. Eius gene-
ris vero opinione multi perperam quidem pro principiis
verissimis habent, & omnes aliorum sententias atque opini-
ones secundum eas examinare conantur. Sed cum ge-
nuina norma non sint; neque sententiae & doctrinae se-
cundum illas praeiudicatas opiniones examinandae erunt.
Quomodo enim veritates inde cognoscere poterimus, cum eiusmodi opiniones nihil nisi sint errores? Quae opinio-
nes his conueniunt praeiudiciis, itidem errores sunt, quos tamen veritates esse perperam credunt; & quae ab illis re-
cedunt, errores audiunt, cum tamen sint veritates. Hac ratione veritates genuinae ab erroribus non separantur; sed plane inter se confunduntur; id quod veritati primae aduersatur. Hanc legem migrant omnes aduersarii & dis-
sentientes, qui aliorum doctrinas secundum sua tantum
examinant placita.

(*) LA-

(*) LACTANTIVS in inst. diu. L. VII. c. 7. de philosophia quibusdam ita differit : Incredibilis est error illorum, qui cum aliquam sectam probauerint, eique se addixerint, caeteras damnant tanquam falsas & inanem. Armentaque se ad praelianendum, nec quid defendere debeant, scientes, nec quid refutare. Incursantque passim sine delectu omnia, quae adserunt, quicunque diffinentur.

§. XI.

Doctrinae quoque non ad cuiusvisphantasiam eiusque ideas Neque
inde prouenientia placia intellectus mixti sunt diudicandae. falsae
Quae genuinae omnis nostrae sint cognitionis regulae, ex persuasi-
praecedentibus constat. Ad has ergo examinande sunt ones ima-
doctorum sententiae. Phantasia vero & totus intellectuationis
Etus mixtus est facultas cognoscendi res sensibus compre-
hendendas, quae ipsa cogitationes suas ad normam ali-
quam dirigere debet. Accedit, quod haec facultas saepissi-
fime sibi res quasdam perperam singat veras vel falsas, bonas
vel malas. Qui ergo cogitationes his figuris conuenien-
tes, veritatis ; & quas non conuenire deprehendit, errores
esse sibi persuadere vellit, turpissime deciperetur. Quo
itaque loco Fanaticismus & Enthusiasmus habendi sint, inde
quiuis cognoscit. Fanaticismus maxime eoredit, quod
quis phantasie suae nimis confidat, & quidquid illa ve-
rum, falsum, bonum malumque sibi persuaderet, quamvis
praeterea nullum in re deprehendatur fundamentum, sta-
tim pro certa veritate aut erroribus venditet. Enthusias-
mus vero hoc addit, quod falsas phantasie persuasiones
à DEO peculiari plane ratione esse concessas perperam cre-
dat. (*) Quis itaque, his ita habentibus, phantasiae tuto
fidere potest ?

(*) Plura de his intellectus mixti, speciatim phantasiae, mor-
tis deprehendimus ap. iam laudatum celeberr. EVDDE-
VM I. c. Sect. V. §. XVII. & seqq.

§. XII.

Neque veritates aut errores aessimabuntur ex usu, & ab- Neque
usu, bocque aut illo euentu felici aut infelici, aut etiam alia re, aliae veri-
quae latum

circumstantiae. quae ex accidenti plane fit. Saepius enim contingit, vt optima abutamur veritate, vt error fortuito quidem casu usum quandam habeat; veritas quoque saepius infortuniis prematur, error vero insigni gaudet fortuna. Falilitur ergo, qui illud credit esse veritatem, quod ex accidenti usum quandam aut felicem successum habet; aliud vero esse errorem, quod illis valde aburantur homines, & quae alia huius sunt generis. Sic pontifici valde aberabant a scopo, quod veritatem euangelicam inde suscep- etiam reddere volebant, quod tempore illius restitutioonis varia simul contingenter.

§. XIII.

Proprietatis custodia minus curandae sunt nonnecessariae, magis, viiles, maxime, necessariae veritates Quid nobis sint non necessariae, viiles ac necessariae veritates, in praecedentibus ante oculos posuimus. Jam vero nexus illarum cum vita rite instituenda & vera felicitate ostendamus, necessè erit. *Necessariae strictiori significatione dictæ, sunt fundamenta cognitionis, quae ad vitam & felicitatem manuducunt;* hinc neque negari possunt, neque ignorari: viiles illa fundamenta vberius explicant, distinctiusque proponunt; ergo ignorari quidem possent, minime vero negari, cum negatio ipsis veritatibus necessariis, quas viiles illustrare debent, fidem derogare facile posset. *Quae vero nonnecessariae dicuntur, nullum nexus cum vita nostra rite instituenda & vera felicitate habent;* hinc & negari & ignorari tuto possunt; si modo negatio aut contraria affert animos hominum in ipsa cognitione necessaria non turbet, aut aliud cuiusdam momenti secum ferat incommodum. *Quod vero regula nostra in custodia harum veritatum obseruanda sit, ex secunda nostra vniuersali fluit propositione, in qua præcipitur, ut omnes veritates pro nexus suo cum vita & felicitate custodiamus.* Nec aliter fieri potest. *Quamuis enim nihil forsan damni metuendum sit, si non necessariae veritates nobis essent peripe-*

speciae; custodia tamen nostra non tam ad has, quam ad necessarias se extendit, minimum extendere debet veritates. Illa enim quaerit cognitionis nostrae puritatem & haec vitam rite instruit felicitatemque genuinam monstrat. Quae ergo ad hanc faciunt, ad complexum cognitionis purae quoque pertinere merito creduntur. Has veritates & non alias quoque custodire tenemur. Hae vero tantum necessariae sunt & utiles; inter quas tamen, ut illis primum cedamus locum, arctissimus cum vita & felicitate requirit nexus.

§. XIV.

Non ergo statim coelum & terram mouere licet, si in non. In veritate necessariis aliquis a consueta recedat sententia. Ignorari, immo talibus plane negari possunt huius generis veritates; quidni ergo ab una sententia ad contrariam transfilire licebit? His satis adeo commotus B. LUTHERVS de eius generis veritatibus in rigidum Theologia occurrentibus dixit (*): Nihil pestilensius in eccl. esse non clesia doceri potest, quam si ea, quae necessaria non sunt, necessitetur. fiant. Hac enim tyrannide conscientiae illaqueantur & libertas fidei extinguitur. B. CHEMNITIVS (**) In omnibus, inquit, controvrisis ea, quae necessarium usum habent in exercitiis poenitentiae, fidei & pietatis, discernenda sunt ab aliis disputationibus, in quibus opinionem diversitatem, vel etiam leuis quaedam hallucinatio, non inserti iacturam fidei & salutis. Eadem quoque souet mentem celeberrimus noster MICHAEL FOERTSCHIVS (***) Non omne, inquiens, quod superstruitur fundamento, aurum est, sunt lignum, foenum, stipulae, quae quanquam nullum adferant usum, tolerantur tamen aliquando. Postulat id humana infirmitas & profunditas analogiae doctrinae sacrae: B. IO. VVIGANDVS (****) de propagatione animae, quam ad non-necessarias doctrinas merito referunt, ita iudicauit: Non esse haeresin putandam vel in hanc vel in illam sententiam stetere.

(*) Tom. II. Lat. Vitemb. edit. 1541. fol. 331v. (**) ci-
tante celeberr. MVHLIO I. c. p. 25. (***) Praef.
diff. de Prudentia iustorum. (****) in Tr. de Neu-
tral. & Medis p. 38v. §. XVI.

*Non tam
mē quas-
uis pro
lubitu
non ne-
cessarias
dicere li-
cet.*

*Nunquam tamen veritates necessariae vilesque sub specie
non necessariarum negligendae aut plane reiiciendae sunt. Cu-
stodia curare debet omnes veritates scitu nobis necessa-
rias atque viles, quomodo ergo vel una ex illis negligi
aut reici possit, non video. Sed adeo corrupta est nostri
seculi ratio, vt saepius frigide res nostrae cognitionis agat,
& pro lubitu non necessarias veritates fingens, quae ne-
cessariae sunt & viles, facile, vt haec vel illa veritas pes-
fundetur, permittit. Id quod eo magis coercendum est,
quo maius inde metuendum est damnum: & quod a-
perta hoc modo ad indifferentium sternitur via.*

§. XVI.

*Errores,
qui fun-
damen-
tum veri-
tatis non
perver-
tunt, eo
tolerandi
sunt.*

*In custodia veritatis tolerandi interdum sunt errores, qui
viam ad vitam & felicitatem non pervertunt. Huius generis
errores illi sunt, qui a veritatis non necessariis aberrant.
Quamvis igitur magis videatur consultum, si plane nul-
los nos irretirent errores; conditio tamen hominum vix
permittit, vt omnibus insistamus refutandis. Malitia quo-
que illorum, qui errores disseminant, adeo pertinax est,
vt omnibus abrogandis vix sufficiamus. Et si dicendum,
quod res est, custodia tantum praescribit illos errores e-
vitandos, qui viam ad vitam & felicitatem pervertunt;
vt veritas tertia vniuersalis ostendit. Hinc quo minus
errores fundamenta non peruerentes toleremus, nihil
prohibere video.*

§. XVII.

*Custos
debet esse
idoneus.*

*Non nisi idoneus veritatis exerceat custodiā. Ad normam
genuinam diiudicandae sunt veritates & errores. Norma
ergo prius à custode cognoscenda est. Conuenientia quo-
que aut discrepantia alicuius opinionis cum illa probe in-
spicienda. His vero negotiis nemini humeros subincere lice-
bit, nisi qui idoneus est; alias enim custodiā exercere
nequit. Non ergo negligenda sunt, quae HORATIVS(*)
omnibus occinit:*

sumi-

*Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus & versate diu, quid ferre recusent,
quid valeant humeri.*

Multi tamen sunt, qui maximo & ecclesiae & reipublicae damno de omnibus aliorum sententiis opinionibusque iudicium ferre audent, licet rem ipsam non perspectam habent, aut alias ne micam fere facultatis iudicandi in se comprehendant, aut iuuenum anni illam, si quae adest, adhuc impediunt, quo minus rite de suis, tantum abest, ut de aliorum rebus, sententiam ferre queant. Haec nimia iudicandi licentia merito coercenda est.

§. XVIII.

*Praeparandus & instruendus est custos ad tam magni mo- Praapa-
menti negotium. Si omnes aedescent vires atque perfectio- ratio cu-
nes, quibus instructus esse debet custos, nulla opus esset ~~fodina~~ praepa-
praparatione. Sed homines plane nescit, qui condicio- ~~mittenda~~
nem illorum non habet perspectam, quod ante emenda-
tionem & intelligendi facultate satis impedita & voluntar-
te maxime peruersa laborent mortales. His igitur cum
impediat genuina custodia, aut haec infeliciter suscipie-
tur, aut custos prius praeparandus erit. Omnia ergo, quae
ex Logica & morum disciplina huc faciunt, diligenter custo-
di sunt accommodanda. Praeter ea itaque, quae in capite
secundo circa emendandam voluntatem commendauimus,
etiam ex lege nostra fluit, quod intellectus genuina ra-
tione veritatem inueniendi & examinandi sit instruendus
praeiudiciisque exuendus; & quae alia huius sunt gene-
ris.*

§. XIX.

*Media legitima & sufficientia quoque in custodia adhibenda sunt. Media le-
Ordine naturali & à DEO praescripto nunquam aliquid ef- gitima
fici sine mediis potest. Huius rei testes sunt experien- adhiben-
tia & rerum singularium collectio seu induc̄io. Hinc ad ^{de}la.
omnem actionem & negotium, finem, subiectum & me-
dia requirunt moralium rerum cultores. Quin ergo in
custodia veritatis media adhibenda fint, dubitare non pos-
sumus.*

F

fumus. Cum vero media ita comparata esse debeant, vt ad finem adquirendum faciant, huic omnino debent esse accommodata & proportionata, quod fieri nequit, nisi genuina sint atque sufficientia. Illa vero genuina erunt, quibus veritates confirmare, errores detegere & refutare atque deprimere possumus. Ita enim conseruatur veritatis puritas.

§. XX.

Optima adhibenda custodi euoluenda sunt argumenta commodisque simul verbis profienda. Hominis intellectus ita est comparatus, vt non facile quidquam admittat, nisi validis corroboretur aut destruantur argumentis. Qui ergo custodiam agere sibi proponit, non quaeque in buccam incidentia proferat, aut argumenta infirma cumulet, sed felicit optima. Illa enim saepius rem magis perdunt, quam consequuntur. Multo vero minus illi rite custodis fungentur officio, qui consulto Ieuia in refutandis erroribus aut confirmandis veritatisbus adhibent argumenta, vt homines eo facilius ab his ad illos queant transfilire. Exemplo nobis esse potest **IULIVS CAESAR VANNINVS**, vel potius **VGILIVS**, de quo **THEOPHILVS SPIZELIVS**, (*) *Vanninus*, ait, in *amphiteatro magnō molimine & nouo ac folidiori modo prouidentiam diuinam aduersus veteres Philosophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos & Stoicos defendere quidem videtur, reuera tamen saepius ita defendit, vt potius turpiter proficiat atque destituat, idque eo potissimum fine, vt si infirmiores videant, tantum Atlantem tam raris atque tam nouis ex Philosophia pariter ac Theologia machinis adhibitis argumentorum Atheisticorum momenta atque pondera sustinere non potuisse, sibi statim nihil amplius certi, nihil solidi prominat, sed in scepticismum, immo Atheismum sponte sua prolabantur. Sed nec omittenda sunt verba rem commode exprimentia. Minus commoda enim vel lites tantum protrahunt, vel nouis facile ansam praebent erroribus.*

(*) In *Scrut. Atheismi* p. 20. seqq. conf. **GISBERTVS VOETIVS** in *diff. scleſt. I.* p. 147. seqq.

CAP.

C A P . IV.

D E

*Regulis prudentiae in custodia ve-
ritatis obseruandis.*

§. I.

Prudentum placita, post leges à fine quarumcumque re-
rum deriuatas, ex circumstantiis earundem externis, & quae plane ex accidenti in his deprehenduntur, colligenda esse, alibi saepius probauimus. Quae ergo in custodia obseruandae sunt prudentiae regulae, eadem ratione ex eius generis circumstantiis prono fluent amne. Praecipu-
as ergo ab hoc fonte nobis deriuare adhuc licebit. Sed ne aberremus, fundamenti loco ponendum est sequens
ab illis desumptum caeteras prudentium regulas cognoscendi principium: *Quicquid circumstantiae custodiae veritatis sua-
gent agendum vel omittendum, illud omnino agendum est vel o-
mittendum.* Quae autem eius generis circumstantiae sua-
deant disiadeantue, experientia & propria & aliorum nos
docebit, sub ipsis regulis mox exponenda.

§. II.

*Aduersariorum & dissentientium mentem in proponendis o-
pinionibus suis diligenter & caute expiscari debet veritatis custos. uersari-
Conseruanda est cognitionis nostrae puritas, errores hinc orum &
detegendi. Errores sunt cogitationes, quae cum princi-
piis suis cognoscendi non conueniunt, & quae certis in-
uoluntur verbis. Haec vocabula saepius cogitationes fal- prudenter
fas statim produnt; interdum tamen difficile est ex ver- inuesti-
bis primo intuitu colligere cognitionem huius illiusque au- ganda.
toris esse falsam aut periculosam, cum sanam admittere
videantur interpretationem, aut alias bonam prae se ferre*

F. 2

inten-

intentionem. (*) Saepius vero sententia non adeo erronea aut periculosa est, verbis tamen incommodis aut erroribus facile ansam praebentibus exprimitur. Mens ergo genuina rite inuestiganda est, vt videamus, num ipsa opinio falsa sit & refutanda, an verba tantum emendanda, aut mitius interpretanda; vt futuro tempore vel errores euitentur, vel verba minus commoda corriganter.

(*) Exempla huius rei deprehendimus in *Epistolis Theolog. LIBERII DE S. AMORE seu IOANNIS CLERICI* passim. §. III.

*Modestie
accute
cum dis-
sentienti-
bus agen-
dum.*

*Dissentientes, praeferunt qui alias candidi sunt & meritis clari, non statim aduersariorum nomine refutandi, sed clam prudenter admonendi, antequam publicis refutantur sermonibus. Aduersarii merito dicuntur, qui praecipuum quandam pertinaciter corumpere student veritatem. Dissententes vero vocare possumus, qui à non adeo claris atque magni momenti veritatis aberrant, nec pertinaciter opinioni suae inhaerent. Hi vero vel ex infirmitate, vel alium in finem vti-
lēm opinionem quandam, falsam quidem, sed non adeo periculosam fouent. Si ergo hos aduersariorum nomine traducere aut publice refutare vellemus, facile plus incommodi quam commodi in veritate conseruanda essemus exspectaturi. Hinc prius clam admonendi sunt, vt emendent aut plane deserant opinionem suam. Si vero non statim velint, & metuendum sit, ne opinionem praeter spem abusus quidam excipiat, refutari quidem possunt, sed suppresso eorum nomine, ne munerus, cui praesunt, contraria ratione pessum eat auctoritas.*

Custos

blandi-

menis se infectis aut munusculis litterariis inducatur, ut errores eorum

capinon

vel minoris momenti inducet vel alias tolvet. Fieri saepius fo-

patur.

Caveat custos, ne epistolis, blandimentis aduersariorum, scriptis aut munusculis litterariis inducatur, ut errores eorum vel minoris momenti inducet vel alias tolvet. Fieri saepius folet, vt aduersarii, vel qui alias periculosam fouent opinionem, scripta sua viris in doctrinae cuiusdam generre maxime claris mittant, adiectis literis, quibus vel coecare eorundem animum, vel effeminatum reddere stu-

§. IV.


(45)

dent. Caute ergo accipiant custodes huius generis scripta,
nec animi fortitudinem aut partes in custodienda deponant
veritatem.

§. V.

Has & adhuc alias a circumstantiis custodienda ve-
ritatis deriuare poteramus regulas, quas tamen paginarum
angustia adferre prohibet. Quius interim veritatis custos,
quae circumstant custodiam, probe notet & colligat, ut plures
prudentiae regulas inde dicere possit. Sed in his non sta-
tim pedem figat, potius omnia, quae iam proposita sunt ex-
erceat, ut puritas doctrinae consuetetur, via ad vitam rite
constituentiam & felicitatem veram consequendam mu-
niatur ac tandem gloria DEI promoueat. Id quod
totius dissertationis nostrae est

F I N I S.



Quam variis hodie verum rationibus omnes
Impugnant, vix est hic rationis opus.

Grammatici nugis pugnant, ratione sophorum
Turba, nec ad verum quilibet inde venit.

Adstruit alter idem, quod destruit alter eidem;
Felix, qui verum semper amore sapt.

Nec male pro veri studio custodia cernit,

Quid circa id iustum, qui sua iure probat.

Sed dignus laude est, qui verum iure tuerit,

Quin operae pretium vindice laude refert.

Ob praeclarum prosectorum in litterarum studiis spe-
cimen a iuuene praestantissimo editum, gratula-
bundus scribebat

IO. FRANCISCVS BVDDEVS,

S. S. TH. D. ET. P. P. O.

F 3

I:

Is falso verum, iusto secernit iniquum,
Quem decorant artes & pietatis amor.
Et recti custos praefert aeterna caducis,
Hoc virtutis iter; caetera mortis erunt.
Sic sibi, sic Christo, patriae, patriaeque Parenti
Viuit; post mortem nos meliora manent.

Optimo WEDELIO de eo, quod insitum est circa verita-
tem custodiendam disputanti ita applaudebat

JOH. REINHARD RVS,
L.L. O.O. P.P. O.

Qvanto, WEDELI, studio tractaueris artes,
Docto musarum de Cathedra ore probas.
Gratulor ex animo: faxit mox Jona supremus,
Praemia quo referas digna labore suo.

ita

Nobilissimo Dno Respondenti, auditori suo aestu-
matissimo applaustrus scribebat

CHRISTIANVS STOCK,
Phil. M. ciusdem in Ac. Jen. Adj.

Vt prohibent oculum nebulae discernere coelum,
Sic verum, ob mentis nubila, nemo videt.
Ut notus obscuru deterget nubila coelo,
Sic recti, tenebras pectore pellit, amor.
Qui bene perquirit causas & pondera rerum,
Ille sibi & Patriae commodat atque DEO.
Ita mentem & affectum singularem erga Nobilissimum
ac Clarissimum Respondentem Auditorem diligenter-
simum ac variae eruditio[n]is iudicatorem strenuum te-
flari voluit

PRAESES.

Est fatuus miles, verbis qui iacit at arma,
Et quid pugna sit, se quoque scire putat.
Qui tamen haud unquam pugnauerit hostem,
Nec faciem aut pectus fuisse ense peti.

Inflar

*Infir qui leporis mox exploso igne tremescit,
Cui virtus properos reddidit apta pedes.
Sic plerique operam studiis dant tempore nostro:
Vt mox sufficiat, si modo panca sciant.
Alii pugnando animus si fortis sitque subactus,
Nec pugna virtus ullacare potest.
Rette doctrina quoque tu contendere gestis,
Scire tuum ut certe patria cara sciat.
Perge operam studiis dare sinceram usque WEDELI,
Patria cum videt haec, praemia certa dabit.*

Haec pauca dochissimo WEDELIO, amico suo, virtutis cultori strenuo, cum voto fortunae adhibita industria dignae, properante manu adscriptis

M. IO. GOTTHELF. ROSA.

VERI natura est, quod non fugit aspera lucis
Fata, fides homines nec timeri orta DEO.

Indolis eiusdem tu frater (*vera fatendum est*)

Es, qui semper eras, publica facta probant.

Scande (*nec inuidet*) phoebeiae castra, sit alma

VERI tuta tua sub statione fides.

Hinc, dum tellus habet fidei vestigia VERI

Atque fides fraudis nescia sancta manet.

O WELLEIE tuae debitae praeconia laudis,

Quae Tibi IENA dabit, nescia mortis erunt.

Virutis patriae tu cultor & aemule felix,

Deueneranda Domus spesque decusque Patris.

Per te Wellicae capit incrementa paternae

Inlyta stirps veteri nobilitate domus.

Plaudite sed raucum (*nec despice*) nostra triumphis

Addit Apollineis Cimbrica musa Vale.

RESPONDENTI

*Nobilissimo & praestantissimo, amico coniunctissimo, fratre
tri mellitissimo NICOLAO VVEDELIO*

gratulandus haec mittit

IOHANNES ADOLPHVS BROERSON.

Cimbro-Danus.

Mus.

Mulli se superasse putant Sophiae aquora vasta,
Per Scotti latebras, per Gabrielis opus.

Thomae constanter volvunt altosque recessus;

Volunt Ægidium, dotataque scripta Svarez,

Sed tamen ignorant, quid dissent aera lupinis,

Nec pandunt, veras diuitias artis opes.

Namque omnis veri eustos rigidusque Satelles

Non sumum vendit, sesquipedale fugit.

Ob egregium eruditionis specimen à nobilissimo Dno

Respondente, non animi probitate magis quam

pertinacis industria laude conspicuo animum ita

testari voluit

SAMVEL FRIDERICH WEITZMANN,

S. Th. & Phil. Stud. Frideberga-Neo-Mar-

InTEGRITAS animi placuit, tua cognita Virtus,

Et pietas longo tempore nota mihi.

Ergo dum licuit, nec te mihi carior alter.

Nec candore Pio iunctior ullus erit.

Vidi te libros inter musasque sedentem,

Num vero ingenii reddere dona paras.

Perge nec inuideo; precor & tibi praemia magna

Et labor & candor, quae meruere, tuus

Tu quoque constanter nostrum tueraris amorem.

Muto quidem coelum, credito, non animum.

Subitanas hasce lineolas tanquam amicitiae minus sua-

catae monumentum aere perennius apponebat, ad pe-

nates patios reverfurus

JOH. CHRISTOPH. HORN VNG,

Rendesburg-Holsatus.

Errata.

pag. ii. lin. 18. pro tam lege cam. p. 15. l. 3. loquun-

tur. pag. 22. lin. 3. pro suo lege sub. p. 29. l. vlt. leg.

praesenti. pag. 35. l. 15. pro quaemus lege queamus. p.

37. l. 31. leg. morbis. p. 40. l. 17. pro nullos lege nulli.


Jena, Diss., 1717

(x 2583 127)

KO18



Farbkarte #13



B.I.G.

DISSE^RTAT^O PRACTICA

DE EO, QVOD IVSTVM EST
CIRCA

CVSTODIENDAM VERITATEM,

Oder:

Was die Erhaltung der reinen Wahrheit
zu thun und zu lassen erfordere?

QVAM

DIVINA ADSISTENTE GRATIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIP^E AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MON-
TIVM, ANGARIAE ET GVESTPHALIAE,

RELIQVA,

IN ACADEMIA IENENSI

INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV,

D. MARTII C^IO IO CCXVII
PRAESIDE

IO. IACOBO LEHMANNO,

PH. M. EIVSQUE AMPLISS. ORD. ADIVNCTO,
PATRONO AC PRAECEPTORE

IVGITER COLENDO

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBIICET

NICOLAVS VVEDELIVS,

REISBYA-CIMBER.

IENAE,
LITTERIS IO. BERNH. HELLERI.

